1828

PROLUSIO

AD

INTERPRETATIONEM

TERTII CAPITIS HABACUCI

PART. I.

AUCTORE

Dr. IOANNE GUSTAVO STICKEL

VIMARIENSI

IN ACAD. IENENS. THEOL. BACC. ET PRIVAT. DOC.

NEOSTADII AD O.

APUD CAR. GODOFR. WAGNER.

MDCCCXXVII.

PROLUSIO

AD

INTERPRETATIONEM

TERTII CAPITIS HABACUCI

PART. I.

AUCTORE

Dr. IOANNE GUSTAVO STICKEL

VIMARIENSI

IN ACAD. IENENS. THEOL. BACC. ET PRIVAT. DOC.

NEOSTADII AD O.

APUD CAR. GODOFR. WAGNER.

MDCCCXXVII.

PROLUSIO

AD

INTERPRETATIONEM

TERTII CAPITIS HABACUCI

PART. I.

AUCTORE

Dr. IOANNE GUSTAVO STICKEL

VIMARIENSI

IN ACAD. IENENS. THEOL. BACC. ET PRIVAT. DOC.

NEOSTADII AD O.

APUD CAR. GODOFR. WAGNER.

MDCCCXXVII.

In antiquis illis, quae nostra tempora tulerint, Hebraeorum prophetarum monumentis, pauca esse ita excellentia, ut cum Habacuci vaticinio comparari, anteferri autem ut ei possent, nulla inveniri, viri docti, penes quos de his litteris judicium est, fere omnes existimaverunt. Atque est sane ea existimatio ab omni parte probanda; cum quas singulas in aliis prophetis admiramur virtutes, eae ita in Habacuco spectentur conjunctae, ut qua eum praecipue insignem celebrandumque judicemus, dictu sit difficile. Erat enim in eo tam rara mentis prudentia, rerumque publicarum cognitio tam singularis, ut quae futuro tempore ab externis nationibus, ipsi sagaciter observatis, in populum suum ingruerent pericula, sicut ceciderunt posthac fata, acute praevideret; erat in eodem acerrimum patriae salutis studium, cujus cum in discrimine videret libertatem, animoque praesentiret infortunium, interno aliquo impetu commotus [1]), vaticinium suum

1) De caussis, quibus ad edendum vaticinium suum permotus fuisset Habacucus, contra Kalinskyum, earum tres ponentem, commode disputavit Wahl libro, quem inscripsit „*Habakuk*" p. 20—23. Is tamen et ipse, vel in ne-

(משׂא), miserabilem sortem deplorans, lugubribus modis decantavit; sed erat etiam in eo, veluti dul-

---

glecto a popularibus cultu Jehovae, vel in eorum futurarum rerum studio, vel in interno vatis impetu, caussam quaeri posse, statuens, nec totam rem complexus esse, nec sibi ipse satis constitisse videtur, cum interno illo ardore (sine quo nullum omnino editum est vaticinium), externi incitamenti deficientiam, si quid video, significaret, idem vero prophetas nunquam nisi extrinsecus incitatos verba fecisse, paullo ante asseverasset. Sed ex illis, de quibus cogitari posse dixerat, probabilem sane caussam elegit, quam belle his verbis elocutus est, ad beatos nuper evectus, Eichhornius Einl. in d. A. T. Tom. IV. p. 409.: *„Der Gegenstand, welcher dem Habak. vorlag, war grofs, und besonders für den Hebräer angreifend. Er sah den Feind sein Vaterland stürmen; er sah Recht und Gerechtigkeit darnieder liegen; Selbstständigkeit und Nationalwürde, das Liebste, Beste, das ein Hebräer kannte, sah er verloren gehen: diefs mufste schon jedes empfindende Herz in innige Wehmuth versenken, über ein so warmes, wie das des Propheten, mufste es ganz zerreifsen. Natürlich also konnte Hab. in so einer Fassung nicht die sanfte Laute über den Trümmern des Elends rühren; er mufste über ihnen die Kriegstrommete tönen lassen.“* Cui sententiae quam paullo post subjunxit Wahlius observationem, fortasse ex Abarbanelis vel Cyrilli Alexandrini Comment. ad Hab. I. 1. To. III. Opp. pag. 519. effatis subortam, rarum fuisse Habacuci aetate vatem, interno afflatu impulsum, ideoque hunc הַנָּבִיא κατ' ἐξοχὴν appellatum, ea tantum abest, ut recte habeat, ut Haggai et Zacharia, quos prae ceteris externis caussis permotos edidisse oracula, clarum est (Hagg. 1, 2. 2, 3. Zach. 7, 2. 3.), eodem nomine הַנָּבִיא insigniti sint (Hagg. 1, 1. 2, 1. Zach. 1, 1.). Imo vero indicio mihi est hoc additamentum, auctorem inscriptionis vel de Habacuco nihil praeterea compertum habuisse, ignorantiamque addito praedicato, quod ex lectione sequentis voluminis nemo non supplere potuit, celare, simulque mori illi, etiam apud Arabes (vid. *Amrui ben kelthûm* Taglebitae Moallakam, quam edidit V. V. Kosegar-

cissimum doloris levamentum, immutabilis illa in Jehova, tutelare suae gentis numine, collocata fiducia, quem quo gravius periculum, eo impensius ut averruncaret, precabatur, precibusque adfuturum certissime credebat; ad quas accessit denique virtutes imaginandi tam vivida vis, ingenium poeticum tam felix, tamque promta linguae exercitatio, ut, cum in hoc viro gubernandae reipublicae peritia, tenerrimus patriae amor, pia erga deum observantia et elegantis, ac si res postulabat, etiam gravis poetae virtutes conjunctae sint, Habacucum non temere mihi videar prophetam ab omni parte perfectum nuncupare.

Haec autem laus eo quidem magis ne infringatur apud nonnullos vereor, quo speciosiora sunt dicteria eorum, qui imitatum esse alios prophetas Habacucum animadverterent, hocque nomine celebrationi divini vatis obtrectarent. Videlicet ea est, quod infra disputavimus accuratius, cum singularum imaginum ratio et color, ut aliorum poetarum, sed optimorum quorumque similitudinem referant (Hab. 2, 5. cf. Jes. 5, 14. — Hab. 3, 3. ss. cf. Deuteron. 33, 2. Jud. 5, 4. — Hab. 3, 4. ss. cf. Ps. 97, 2—5. 18, 8—16. cl. 29, 3. — Hab. 3, 10. cf. Judic. 5, 4. Ps. 68, 9. al.), tum totarum sententiarum conformatio, ut animo ejus luculenta aliquot

---

TEN, p. V. et V. et JUSTI ad Joel. p. 14.) atque Persas recepto (vid. *Mirchondi* historiam in WILCKENII Chrestomath. Persica p. 147.), de genere auctorum (Joel. 1, 1. Jona. 1, 1. Nahum 1, 1.), de vitae ratione et tempore, quo ediderint oracula (Amos 1, 1. Jerem. 1, 1—3. Jes. 1, 1. Hos. 1, 1. Micha 1, 1. Zeph. 1, 1. Hag. 1, 1.), legentes erudiendi, obsequi, vel ne cum aliis ejusdem nominis hominibus hic vates permutaretur, cavere voluisse.

exempla passim obversata esse, eluceat. Namque sollicitudinem et angustiam animi precum forma expromit (Habac. 1, 2—4.), quibus, ut fere mos est prophetarum, ipsum Jehovam respondentem facit (Hab. 1, 5—11.); deinde comparat se cum excubitoribus militaribus, qui in statione versantur, dum in specula exspectat, quaenam fata futura deus ipsi revelaturus esset (Hab. 2, 1. cf. Jes. 21, 8. al.), eaque, ad exprimendam oraculi sui fidem ac perennitatem, simulat tabulis jussum se esse a numine divino insculpere (Hab. 2, 1. cf. Jes. 8, 1. 30, 8.); cladem immanium hostium epinicio ludicroque carmine deridet (Hab. 2, 6—20. 2) cf. Jes. 14, 4. ss.); Jehovae autem, herois instar vi armorum hostes debellantis, potenter facta triumphumque hymno celebrat gravi, sublimi, divino (Hab. 3, 3. ss. cf. Jud. 5, 4. Ps. 68, 8. Jes. 63, 1. ss.): quae quidem omnia ad aliorum, imprimis Jesaiae exemplum composita esse, allatis modo locis parallelis, comprobari opinantur. At vero alia hic, quae suo quisque auctor sensu dixisset, ab interpretibus parum commode inter se collata 3) esse, alia non tam ab

---

2) Horst ad h. l. „*Man darf das unerreichbare Triumphlied Jesaiae (Cap. XIV, 5—21.) nicht aus den Augen verlieren. Dieſs scheint unserm Dichter offenbar den ersten Stoſs zu den jetzt folgenden Ideen gegeben zu haben, nur daſs er, wie er als originelles Genie thun konnte, nach seiner Manier erweitert, zusammen zieht, und einkleidet.*"

3) Huc illam refero, quam ab interpretibus institutam vidi, et a Rabbinis Habacucum אריה in specula constitutum esse, contendentibus (vid. Carpzov. Introd. II. p. 389.) significatam puto, inter Habac. 2, 1. et Jes. 21, 8. comparationem, cum Habacucus se ipsum speculatoris personam gessisse, Jesaias autem quales belli duces turribus solebant im-

imitatione, quam ab illo de quibusdam rebus velut praescripto Hebraeis poetis imaginum, sententiarum, colorum ambitu repetenda videntur, pro quo, si in ejusmodi locum incideret vates, cum aptiora ad rem et sublimiora dici non possent, ipso paene inscio, suae imagini aliis similem suffunderet colorem, uteretur que iis dicendi formulis, quas ante ipsum usurpassent jam alii 4); alia denique,

---

ponere speculatores (צֹפֶה, מְצַפֶּה) 1 Sam. 14, 16. 2 Sam. 18, 24. 26. 27. 2 Reg. 9, 17. 18. 20., talem, ut de imminente Babeli periculo certior fieret, in specula stitisse fingant. Ac ne nomen quidem צֹפֶה, מְצַפֶּה isti favet comparationi, quod, apud alios scriptores (Ez. 3, 17. 33, 2. 7. Jerem. 6, 17. Micha 7, 4.) de *veris* prophetis solenne (vid. *Rosenmüll.* Schol. ad Hos. 9, 8.), Jesaias, alibi inusitata hoc sensu, voce שֹׁמֵר (Jes. 21, 11. 12.) exprimit. Cui observationi locus, quem afferre possint, Jes. 56, 10. non obstat; latius enim patet (vid. Gesenii Commentar. ad l. c.). Qui vero totam hanc metaphoram proprie interpretarentur, prophetasque Augurum instar templa, lituo descripta, tenuisse opinarentur, ad quos etiam Horstius ad Habac. p. 78. 83. inclinat, ii prospiciant sibi, ne vel buccinis eosdem per vulgus cecinisse (Ez. 33, 3. 6. Jer. 6, 17.), videantur existimare. Imo potius ob attentam et vigilantem populi sui curam cum militaribus custodibus ingeniose quidem comparati sunt; unde, qui posthac eam tutelam in se suscepisse putarentur, angelos עִירִין nomen apud Dan. 4, 10. 14. 20. obvium, nactos esse, verisimile duco.

4) Id potissimum in describendam theophaniam cadere videtur, uti, ut apud Virgilium est, adventante Deo universa rerum natura moveri, terra tremere, antiquissimi colles corruere, sidera pallere, maria fluctuare, Jovam autem atrae nubes obvolvere; in quibus adumbrandis cum nec sublimiora, nec digniora cogitari dicive possent, Hebraeorum poetas mirum in modum inter se convenire, non est mirandum. Deuteron. 5, 4. ss. 2 Sam. 22, 8. ss. Ps. 18, 8—16. 68, 8. 9. 97, 2—5. Micha 1, 3. 4. Habac. 3, 3—15.

quae, utpote acute cogitata eleganterque enuntiata, mutuatum esse Habacucum clarum est, ea tam nova arte tamque suavi decore stylo ejus convestita sunt, ut cognatum potius praeclaris illis vatibus animum, diligentemque et ingeniosam eorum lectionem significent, quam invidioso imitatoris nomine laudem ejus conspurcari patiantur [5]. Quod opprobrium etiam dicendi genus ab eo avertit, castum illud et elegans, rebusque tractatis ita accommodatum, ut pari modo altissima sublimitate attingat, atque ad infima feliciter sese demittat, mira vel in his varietate ac suavitate oblectans. Ad vitam depingit efferatos Chaldaeos, aculeatus est in perstringendis gloriosis hostibus, festivus, grandis, sublimis in celebranda augusta apparentis Dei magnificentia, gravis, abruptus, ad audacissima quaeque assurgens in adumbranda praepotentis Jehovae iracundia; unde, temperato subito orationis cursu, ad

---

5) Inter alia, quae egregie de ingenio nostri poetae scripsit Eichhornius (Einleit. in A. T. To. IV. p. 411.) etiam haec sunt: „*Habac. ist nicht blos glücklicher Nachahmer. Er fällt nur in solchen Stellen in Worte und Bilder seiner Vorgänger, wo auch das originellste Genie nicht versuchen wird zu ändern, um nicht affectirt und gezwungen umzubilden; oder er kommt auf Ausdrücke älterer Dichter blos zurück, weil er seinen Geschmack an ihnen gebildet hat, und weil er ihnen vertraut war. Im Ganzen ist alles sein; alles von ihm geschaffen.*" Confer quae in eandem rem disputaverunt Bauer (Die kleinen Propheten, Part. II. p. 27.), Wahl (Prooem. in Habacucum, hebraice editum etc. p. 27. sq.), Ranitz (Introd. in Habacuci vaticin. p. 27.), Bertholdt (Einleitung p. 1673.), Horst (Uebersetz. des Habak. p. 31. ss. 124. ss.), Hartmann (Allgem. Geschichte der Poesie p. 449. ss.), et Rosenmueller (Schol. l. c. p. 344. 45.) Obiter modo tetigit Habacuci virtutes Lowth (Praelect. de sacra Poesi Hebr. p. 424.)

molles elegicorum modos cantusque lugubres deflectit, ut Habacuci oratio modo dulce rivuli, leniter fluentis, murmure, modo horrido aestuantis maris, egregie ab ipso descripti (Cap. III. 10.) strepitu, legentium aures personet. Haec igitur orationis et sententiarum aequabilis virtus ac singularis convenientia allexit me effecitque, ut, quod non ingratum fore sperabam iis, qui tales juvenilium animorum exercitationes amant, iisque favent, quantum pro viribus possem, tantum in aliqua divini vatis parte operae consumerem. In quo cum et ipse ita judicassem, et a Friedericho, (vid. Eichhornii *Allgem. Bibl. d. bibl. Litterat.* T. X. p. 380.) recte monitum viderem, de difficilioribus quibusdam Habacuci locis non posse certi aliquid statui, priusquam de tempore, quo vixerit carmenque pepigerit, constet: in hoc quam accuratissime inquirere, primarium duxi interpretis officium; unde explicabit

Cap. I.

De aetate, qua vixerit Habacucus et vaticinium suum pepigerit.

---

§. 1.

Certa aliquot et clara aetatis Habacuci indicia cum neque in libro, ejus nomine inscripto, neque apud alios, qui aetate proximi erant, scriptores invenirentur; vix potuit pro hominum natura, obscurarum rerum maxime studiosa, aliter fieri, quam ut aut ex ipsa indole internaque libri natura eruere eam, aut alia quadam, minus quidem tuta, sed ad

aurium oblectationem iucundiori ratione quod desiderarent, explere conarentur. Judaei enim, quorum plerosque pudet inscitiae confessionis, ab Abarbanele (in *Commentar. ad Hab.* 1, 1. לא ידענו דורו ולא משפחתו) et Ganzio (in *Zemach David* p. 821. cf. Wolfii *Biblioth. Hebr.* part. II. p. 182.) editae, in criticis rebus parum difficiles et exercitati (vide quae V. V. Gesenius contra Griesingerum de ea re monuit *Allgem. Lit. Zeit.* 1816. No. 57. p. 450.), ita sibi indulserunt, ut de tempore, genere ac vita Habacuci fabulas aliquas fingerent, fallendo tempori aptas, pugnantes verum inter se, itaque sese tollentes; quas enarrare hic et taxare, operae non putassem pretium, nisi antiquo tempore fuissent, qui ejusmodi commentis ad pravum judicium perducerentur, nec recenti memoria magni inter nos nominis viri iisdem suam de aetate Habacuci sententiam ivissent confirmatum.

Primo loco, quia omnium antiquissimo tempori Habacucum assignat, commemoranda est fabula, tradita illa *Paraphrasi Chald.* libro *Sohar Parascha* בשלח, hincque ab Abarbanele *Commentar.* ad Habac. I. 1. repetita, qua propheta noster Sunamitidis [6]) mulieris ille fertur filius, quem (2 Reg.

---

6) *Sunam* (שׁוּנֵם) vicus erat tribus Isaschar (Jos. 19, 18. 2 Reg. 4, 8.), prope Carmelum (2 Reg. 4, 22. cf. v. 25.), non procul ab Endore (1 Sam. 28, 4. cl. v. 7. 8.) situs, qui, idem videtur esse, quem, mutatis litteris λ et ν, *Eusebius* (Onomastic. Urb. et Locor.) s. v. σουβήμ· „κλήρου Ἰσσάχαρ. καὶ νῦν ἐστι κώμη Σουλὴ, ὡς ἀπὸ σημείων ε̄ τοῦ Θαβὼρ ὄρους κατὰ νότου“ quinque milliaria meridiem versus a monte Tabor abesse tradit. — De duabus mulieribus Sunamitidibus, quarum altera אֲבִישַׁג 1 Reg. 1, 3. ss., altera eo, quem nos excitavimus, loco commemorantur, absurdas *Dav. Kimchii*,

4, 8—37.), ut praedictum erat, natum ei, posthac vero mortuum, miraculoso aliquo modo in vitam revocavit Elisa. Quod quantopere a vero abhorreat cum et temporis, inter Elisam et Habacucum interjecti, ratio satis arguat, et prolixe sit a Bartoloccio (Bibliotheca M. Rabb. II. p. 825.), quique eum secuti sunt, Wolfio (l. l. p. 180.), Carpzovio (Introd. in libr. prophet. p. 388.) et Kalinskyo (Vaticinia Chabacuci et Nahumi p. 143.) expositum, sufficiat fontem, unde tam insignis manaverit error, indicare. Ac hic quidem in ipso quaerendus est nomine vatis; quod cum recte a radice חָבַק derivarent, eaque 2 Reg. 4, 16. וַיֹּאמֶר לַמּוֹעֵד הַזֶּה כָּעֵת חַיָּה אַתְּי חֹבֶקֶת בֵּן forte occurreret, propter repetitum matris et Elisae complexum לפי שנתחבק ב׳ פעמים אחד מאמו ואחד מהנביא (vid. Bartoloccium l. 1. p. 825.), Sunamitidis filium Habacuci nomen adeptum, nostrumque prophetam esse fabulabantur. Digna scilicet Rabbinis ratiocinatio, generisque, quod latebat, acuta investigatio!

Majoris apud multos momenti ea fuit, quae in apocryphis ad Danielem additamentis et apud Pseudoepiphanium *de vitis prophetar.* c. 18. de Habacuco legitur fabula. Ibi enim traditur Habacucus quidam, propheta, tribu Levitica oriundus, in Judaea vivens, cum rus portaturus esset quod messoribus paraverat prandium, ab angelo sublatus, celerrime per aëra volasse, idque Danieli, Babylone in leonum vivarium conjecto, attulisse; quo facto

---

R. Salomonis et *R. Eliezeris* in *Perakim* cap. 33. p. 28. col. 1. fabellas enarravit Bartoloccius Biblioth. Rabb. II. p. 170. 825.

eadem celeritate in patriam esset restitutus [7]). Hujus fabulae, a Rabbinis, ut solent, multis verbis amplificatae (vid. Wahl. ad Hab. p. 7—9.) auctoritas erat tanta, ut non solum Hieronymus [8]) propter eam exsilii tempori assignasse se Habacucum fateretur, sed etiamnunc usque ad Bertholdtium *Einleit. in d. Schrift. d. alten u. neuen Test.* IV. p. 1666. ii omnes, qui post diruta Hierosolyma vixisse nostrum judicarent, eadem tanquam firmissima arce sua inniterentur. At vereor, ut tutum tale sit praesidium. Etsi enim nolumus nomen

---

7) Tetigit eandem fabulam Barhebraeus *Chronic. Syriac.* ex edit. *Brunsii* et *Kirschii* p. 32. (ܟܘܪܫ ܦܪܣܝܐ) ܘܡܢ ܕܡܠܟܘ ܒܒܒܠ. ܘܐܦܣܩ ܐܦ ܗܘ ܠܫܒܝܬܐ. ܡܢܝܢܐ ܕܠܐ ܫܢܝܐ ܫܠܡܘܬܐ. ܘܐܬܡܠܝ ܕܢܒܝܐ. ܘܒܢ ܠܡܩܕܫܐ ܕܒܝܬ ܐܠܗܐ ܕܒܒܠ. ܗܘܢܘ ܡܠܟܐ ܦܪܣܝܐ ܕܡܠܟܘ ܐܦܣܘܣ ܕܫܡܥܘܢ ܕܥܒܕܘ ܠܢܒܝܘܬܐ. ܘܥܠܡܐ ܠܘܬ ܗܘ ܕܢܒܝܐ ܟܠܕܝܐ. ܘܐܫܬܕܝ ܡܢ ܕܒܒܠ. ܘܐܬܪܡܝ ܒܓܘܒܐ. ܐܝܟ ܕܗܘܐ ܗܘ ܡܫܟܚ ܐܪܝܘܬܐ ܗܘܐ ܕܐܬܪܡܝ ܐܟܘܬܗ. ܡ ܐܦܪܐ ܢܒܝܐ ܚܒܩܘܩ ܡܢ ܝܗܘܕ ܘܐܝܬܝ ܠܗ ܡܐܟܘܠܬܐ. ܘܐܬܦܨܝ ܠܘܬ ܡܢ ܐܪܝܘܬܐ. Quo jure ex ultimis illis verbis ܡ ܐܦܪܐ ܢܒܝܐ ܚܒܩܘܩ ܡܢ ܝܗܘܕ ܘܐܝܬܝ ܠܗ ܡܐܟܘܠܬܐ. *tunc mittebatur Habakuk propheta ex Judaea, ut afferret cibum*, Wahlius *Habak. Praefat.* et, qui eum sequitur, Horstius l. c. p. 23. concludant, Abulfaragium isti fidem non habuisse fabulae, equidem non perspicio; imo rectius V. V. Justi Habak. p. 2. not. vere credidisse hunc, quae fabula traderentur, ex illis verbis conjecit.

8) Prologo ad Habac.: „*Et ut scias*, inquit, *eo tempore fuisse Habacuc, quo jam duae tribus, quae vocabantur Judas, ductae erant in captivitatem: Daniel docere te poterit, ad quem in lacum leonum Habacuc cum prandio mittitur, quamquam apud Hebraeos haec ipsa non legatur historia.*“

'Αμβακοὺμ respondere Hebraico חֲבַקּוּק dubitare, neque repugnantiam inter hanc et antecedentem taxare fabulam; tamen, cum tam parva sit hujus auctoris fides, ut antiquo tempore EUSEBIUS et APOLLINARIUS 9), et recentiores interpretes, in quibus vel JAHNIUS (Einleit. in d. göttl. BB. des Alt. Bundes. To. II. part. IV.) et BERTHOLDTIUS (Einleit. p. 1666.) sunt, narratiunculam istam pro mera אַגָּדָה 10), adversus temporis rationem, mores et instituta aperte pugnante habendam esse, uno consensu faterentur 11), ob hanc igitur auctoritatem, communi Judaeorum sententia, Habacucum exsilii tem-

9) Vide HIERONYMI Prolog. ad Dan.: „*Cui (Porphyrio) et Eusebius et Apollinarius pari sententia responderunt: Susannae Belisque ac draconis fabulas non contineri in Hebraico, sed partem esse prophetiae Habacuc filii Jesu de tribu Levi, sicut juxta septuaginta interpretes in titulo ejusdem Belis fabulae ponitur.*"

10) Notionem אַגָּדָה, quam BUXTORFIUS Lex. Rabb. Talm. s. h. v. „*historiam jucundam et subtilem, discursum historicum aut theologicum de aliquo loco Scripturae jucundum, animum lectoris attrahentem*" et OTHO Lex. rabb. phil. p. 17. „*historicos discursus, instar illorum, quos fingunt et formant aliquando poetae*" dixerant, copiosius atque accuratius BERTHOLDTIUS Comment. ad Daniel. p. 41. ita definivit, ut fabulam eam appellaret, poeticis et historicis Graecorum et Romanorum mythis respondentem.

11) Huc noli illum, in quo lapsum esse fabulae auctorem, EICHHORNIUS (Einleitung in d. apokryph. Bücher p. 431.) et BERTHOLDTIUS (Einl. p. 1683. s.) opinabantur, anguium cultum referre, quos tam Parsos Ahrimanis, quam Chaldaeos malorum deorum, Saturni vel Martis imagines adorasse, et tanquam deos averruncos sacrificiis coluisse, accuratius quam DERESER (Die Prophet. Ezech. u. Daniel übersetzt und erklärt p. 254. 347.) exposuit GESENIUS (Comment. ad Jes. To. III. excurs. 2. p. 345. s.)

pere floruisse, cum Bertholdtio 12) non magis statuere velim, quam quod Sunamitidis ab aliis ferebatur filius, eundem Eliseae aequalem dixerim; praesertim cum titulus: Ἐκ προφητείας Ἀμβακοὺμ υἱοῦ Ἰησοῦ ἐκ τῆς φυλῆς Λευὶ satis clare, qui factum sit, indicet, ut qui retractaret illam de Bele et Dracone fabellam, duos diversos inter se, sed ejusdem nominis viros confunderet 13). Quare hunc my-

12) *„Was diese Aggadah im Einzelnen enthält, ist zwar alles fabelhaft und unwahr; — indessen läſst sich doch daraus abnehmen, daſs eine alte weit verbreitete Ueberlieferung den Propheten Habakuk in die Zeit des babylonischen Exils versetzte.“* Bertholdt. Einleit. p. 1666.

13) Secutus hic quidem sum Bertholdtium l. c. pag. 1586., qui, consentiente de Wettio (Einleit. §. 259.), fabulam de Bele et Dracone ab Habacuco quodam, ignoto ceterum homine, litteris mandatam, deinde vero a seriori mutatam et propter Habacuci nomen, a fronte positum, narratiuncula de prandio, Danieli subministrato, auctam esse, statuit: *„In dieser Gestalt muſs auch schon die Sage aufgezeichnet worden seyn, und der Aufzeichner war Habakuk Ben Joschuah aus dem Stamme Levi, wie er sich selbst in der Aufschrift nannte. Die Neugierde suchte über diesen Habak. mehr zu wissen, und wer die Gewohnheit der spätern Juden kennt, unbekannte Männer von solchen Namen, die sonst noch im A. T. vorkommen, zu identificiren, der wird sich nicht wundern, daſs die sich fortbildende Sage in diesem Habak. Ben Joschuah den Propheten Habakuk gefunden habe.“* Atque assentiens in eo, quod duos Habacucos distinxit, habet Bertholdtius, omissis aliis, totum catholicorum, quos vocant, interpretum agmen, quos singulos praeter Dereserum (cf. ej. Ezech. und Dan. übersetzt und erklärt p. 254.) laudavit Carpzovius l. c. p. 391. Ac potuissent sane, si quid video, graviora aliqua in hanc rem argumenta cum ex analogia aliarum partium Danielis intercalatarum, quas interpreti Alexandrino perperam tribuit

thum pariter atque ceteros, qui eum Nahumi sectatorem 14), appropinquante Judaeae finibus Nebu-

---

Jahnius (Einleit. ctr. To. II. part. 2. p. 657.), tum ex ipsa hujus fabulae indole, ejusque cum sexto capite Danielis, ad cujus similitudinem composita est (vid. Allg. Lit. Zeit. 1816. no. 57. p. 451. et Bertholdt. Einl. p. 1585. 86.), comparatione, nec non ex illa, cuius apud Bochartum *Hierozoic.* lib. III. c. 3. p. 750. in arabica versione fragmenta exstant, nostrae fabulae retractatione, afferri. Attamen vereor, ne auctoritati Bertholdtii plusculum hic ab me datum sit. Namque post Maccabaeorum aetatem, ubi ex longinquo tempore οὐκ ὤφθη προφήτης ἐν τῷ Ἰσραήλ, 1 Maccab. 9, 27., fieri non potuisse persuasus sum, ut, qui fabulam de Daniele, leonibus feliciter erepto, memoriae proderet, eam hoc sensu, quo post Hieronymum omnes acceperunt, verbis: ἐκ προφητείας Ἀμβακοὺμ inscriberet, ut semet ipsum auctorem scriptoremve profiteretur. Quam ob rem aut serius, vice versa, propter Habacuci in fabula commemorationem titulum a fronte adscriptum, aut ab ipso auctore eo consilio additum esse, probabile est, ut haec ex vaticiniis clari illius prophetae, quem, si Epiphanio fidem habere liceret, de ea re nihil palam elocutum esse (οὐδὲν εἶπεν τὸ γενόμενον) fama tulit, se repetiisse indicaret. Sed qualemcunque tandem in his rebus sententiam sequaris, ad definiendam Habacuci, prophetae, aetatem nihil facit, cum haec fabula, sive a scriptore ipso ficta, sive vulgi ore tradita ei esset, tam aperte temporis rationi ac moribus repugnet, ut nullius eam in ceteris momenti esse, pateat. „*Ein Mann, der die erbauliche Geschichte vom Bel zu Babel zu dichten im Stande war, verdient freilich nicht viel historischen Glauben*“, Horst Die Visionen Habakuks pag. 23. 24.

14) Vide *Schalscheleth Hakkabbala* p. 19. b., Wolfii Biblioth. Hebr. II. p. 182. et apud Bartoloccium l. c. pag. 825. : חבקוק הנביא קבל מנחום הנביא שיואל ונחום וחבקוק היו בזמן אחד אבל יואל היה קודם מחבקוק וזה קבל מזה ולא נזכר באיזה זמן נתנבאו ואמרו חכמים שנתנבאו בימי מנשה ומפני שהיה רשע לא נזכר שמו׃

caduezare, confugisse in Ostracinen 15), mortuumque Ceïlae (קעילה) 16), sive, ut apud Rabbinos est, יאקוק vel קקו sepultum esse, ferant, tum demum ad confirmandam de loco ac tempore, quo floruerit, sententiam aliquantulum facere duco, cum aliis iisque gravioribus argumentis eadem fuerint, quae fabula traduntur, explorata. Ceterum dissimulandum non est, hunc prae ceteris prophetam circumlatis per vulgus rumoribus in magnam venisse celebrationem; unde factum videtur esse, ut etiam Paulus Apost. ὁ παρὰ τοὺς πόδας γαμαλιὴλ πεπαιδευμένος, aut qui fuerit alius, Judaicis rebus perbene eruditus epistolae ad Hebraeos auctor, suae de fide doctrinae, si Habacuci effato (Hab. 2, 4. cf. Hebr. 10, 38. Ro. 1, 17. Gal. 3, 11.) superstructa esset, imprimis magnam apud Judaeos auctoritatem conciliari existimaret. Cujus celebrationis indaganti mihi caussam, ea vel in mystica aliqua nominis חֲבַקּוּק interpretatione 17), vel, quod propter [illegible]

וּבעל ספר שלשלת הקבלה בדף יט עמוד ב אמר שחבקוק קבל מכהנים שנת ב אלפים רנד:

15) „Ὅτε ἦλθε Ναβουχοδονόσορ εἰς Ἱερουσαλὴμ, τοῦ πορθῆσαι αὐτὴν, οὗτος (Ἀμβακοὺμ) ἔφυγεν εἰς Ὀστρακίνην, καὶ ἦν ἐκεῖ πάροικος εἰς γῆν Ἰσμαὴλ· ὡς δὲ ὑπέστρεψαν οἱ χαλδαῖοι ἀπὸ τῆς Ἱερουσαλὴμ, ἐς τὴν γῆν αὐτῶν, λάφυρα αὐτὴν ποιήσαντες, καὶ οἱ κατάλοιποι οἱ ὄντες ἐν Ἱερουσαλὴμ, κατέβησαν εἰς Αἴγυπτον, αὐτὸς δὲ ἀνῆλθεν εἰς τὴν γῆν αὐτοῦ“. Pseudoepiphan. de vitis prophetar. c. 18.

16) Conf. de hoc vico *Eusebii* Onomast. s. v. κεειλὰ φυλῆς Ἰουδα, καὶ εἰς ἔτι νῦν κώμη κηλὰ πρὸς ἀνατολὰς Ἐλευθεροπόλεως ἀπιόντων εἰς χεβρὼν, ὡς ἀπὸ σημείων ιζ. τὸ μνῆμα Ἀββακοὺμ τοῦ προφήτου αὐτόθι δείκνυται. — *Sozom.* Histor. VII. 29. *Carpzovium* l. c. p. 391., *Relandi* Palaestin. p. 698., *Bachiene* Palaest. To. I. p. 2. §. 316., *Wahl.* ad Hab. 9.

17) Cujus generis haec est apud *Hieronymum* Prolog.:

religiosum capitis tertii usum etiam probabilius est, in ipsa vaticinii natura posita videtur, ita quidem comparata, ut in exitium iam ruente Judaeorum republica, prae ceteris jucundam illam spem aleret, fore aliquando, ut hostibus turpiter exstinctis, pristinaque libertate recuperata, laeta Judaeis fortuna efflorescat. Sed de Judaeorum fabulis haec hactenus.

§. 2.

Tutiorem, quam isti, et ad verum inveniendum aptiorem ii sunt ingressi viam, qui, scriptis Habacuci diligenter lectitatis, notatisque praesertim illis locis, quae in historia Hebraeorum haberent, quo possent referri, tali mallent comparatione, quam inanibus commentis, aetatem nostri prophetae definire. At hi ipsi de ratione, qua quaerendum sit, consentientes, mirabili de alia re dissentiunt modo. Sunt enim alii, qui historia duce persuaderent sibi, non unum quod alii judicant, sed plura scriptis Habacuci, nobis servatis, contineri oracula, interjecto vel longinquiori, vel breviori temporis spatio a vate edita. Quod qui statuant, Rosenmuellerus [18], Ranitzius [19], Hor-

---

„*Vel ex eo, quod amabilis domini est, vocatur amplexatio; vel quod in certamen et luctam, et ut ita dicam, amplexum cum Deo congreditur, amplectantis, id est, luctantis sortitus est nomen. Nullus enim tam audaci voce ausus est Deum ad disceptationem justitiae provocare, et dicere ei: cur in rebus humanis et in mundi istius πολιτεία tanta rerum versatur iniquitas?*“ Similem nominis explicationem propinavit *Abarbanel* Praefat. in Ezech. fol. 153. col. 4.

18) Scholia in Prophet. minor. Vol. III. p. 341. ss.

19) Introductio in Habacuci vaticinia p. 17—26.

STIUS [20]), FRIDRICHUS [21]), KALINSKYUS [22]), cum rursus de numero, ambitu ac tempore singulorum oraculorum constituendo discrepent: consentaneum putavi, illorum, ut in quo conveniant aut differant inter se, cognoscatur accuratius et faciliori negotio, e regione positas hac tabula exhibere sententias, deinceps singulatim persequendas. Confecta igitur sic sunt scripta Habacuci, ut in lucem prodirent judicio

ROSENMUELLERI	RANITZII et HORSTII
Cap. I. Joiakimi aetate,	Cap. I. paullo ante incursionem Nebucadnezaris,
Cap. II. Jechoniae tempore,	Cap. II. postquam intraverat fines Judaeae,
Cap. III. Zedekiae imperio.	Cap. III. sub Zedekia.

FRIDRICHI	KALINSKYI
Cap. III. 1—15. inter annum mundi 3589 et 3592., Midianitis per Joiakimum debellatis,	Cap. I. 1—11. paullo ante Manassis per Assyrios asportationem,
Cap. II. 5—17. III. 16—19. [23]) post annum mundi 3604. Hierosolymis a Nebucadnezare vastatis,	Cap. I. 12. — II. 1 postquam Babylonem deductus erat;
Cap. I. 2 — 4. Zedekia regnante,	Cap. II. 2 — 19. cum Arbaces et ceteri regni praefecti a Sardanapalo sive Asarhaddone descivissent, eumque bello persequerentur,
Cap. II. 1—4. 17—20. exsilii tempore.	Cap. III. 1 — 18. fere eadem aetate.

---

20) Die Visionen Habakuks p. 31.

21) Vide *Eichhornii* Allgem. Biblioth. der bibl. Liter. To. X. p. 420 — 424.

22) Vaticinia Chabacuci et Nahumi. Vratislaviae 1748. p. 145. 146.

23) Quod Bertholdtius l. c. p. 1674. non satis patere dixit, cum duas illas partes ad unum conjungeret Fridrich

Rosenmuellerus cum Ranitzio et Horstio in summa re convenit; totidem enim ponit, quot illi distinxerant, oracula, eaque propter easdem, quas isti secuti sunt rationes, eidem tempori assignavit. Petitae eae quidem rationes sunt e varia, ut illis videtur, quam singula capita exhibent, Chaldaeorum descriptione; quorum irruptionem cum primo capite פֹּעַל לֹא תַאֲמִינוּ כִּי יְסֻפָּר nuncupet vates, moresque, ut ignoti solemus hostis, accurate adumbret, secundo autem in alienas terras invadendi cupiditatem, et adversus devictos populos tyrannidem conqueratur; illud volunt Joiakimi aetati, postquam Judaea Chaldaeorum, quae 2 Reg. 24, 2. memoratur, invasionem fuisset experta 24), hoc au-

oraculum, miror; tam distincte enim, quatuor oracula dignoscenda, illasque duas sectiones uno complectendas esse vaticinio profitebatur, ut quo modo de animi ejus sententia dubitari possit non perspiciam. Namque ait l. l. p. 422.: „*Ein anderer Abschnitt aus den Schriften unseres Dichters, Kap. 2, 5 bis 17. Kap. 3, 16 bis 19 fällt nach dem Jahre d. W. 3604, nach Jerusalems Zerstörung.*“

24) Vide *Rosenmülleri* Schol. l. c. p. 341.; paululum priori tempori hoc vaticinium tribuit *Ranitzius* Introduct. p. 19. dicens: „*Non solum facile intelligitur, qui fieri potuerit, ut Habacucus calamitates Judaeis per Chaldaeos immittendas, qui terram Judaicam nondum invasissent, certo annuntiaret, sed etiam tutius sumi potest, Habacuci enuntiata ad ea tempora esse referenda, quibus ob fidem, quae Assyriis data erat, violatam, ira istius populi vel Babylonici propter potentiam et opes in immensum auctas quam maxime erat metuenda.*“ Item de tempore, quo Cap. II. editum est, non omnino cum Rosenmuellero convenit; hoc enim, quantum e verbis ejus (l. c. p. 20. 22.), parum dilucidis, coniicere licet, minime post Nebucadnezaris incursionem, 2 Reg. 24, 10. ss., sed post illam, eodem capite versu secundo commemoratam, in medium prolatum existimat.

tem oraculum Jechoniae tempori, cum magis invaluisset istorum potentia, ac, rege proceribusque e patria abductis, terram vastassent et expilavissent (2 Reg. 24, 10. ss.), assignare. Denique quod capite tertio continetur carmen, quo poeta Jovam ardentissimis precibus oraret, ne populum sibi electum penitus perdi sineret, ipso illo tempore, quo urbs Hierosolymitana a Chaldaeis per triennium obsidione premeretur (2 Reg. 25, 2. 3.), editum perhibet Rosenmueller, Ranitzius autem et Horstius etiam Zedekiae imperio, sed priori tempore confectum autumant. Sed ipsi illi, qui haec disputant, parum firmam talem esse ratiocinationem, nec commode cum libri indole conciliari posse, senserunt. Quamquam enim in plura vaticinium Habacuci divellebant oracula, ea tamen interno quodam nexu et cohaerentia inter se conjuncta esse, vel claris verbis confitebantur, vel id se ponere in explicando libri argumento tacite significabant [25]). At-

25) Hoc faciebat Rosenmuellerus, qui in adumbranda indole libelli sic versatur (l. c. p. 343. 344.), ut quo pacto tres distinguere potuerit partes, diverso tempore editas, vix intelligatur; istud qui profiterentur, Ranitzius sunt et Horstius, quorum ille (l. c. p. 22.) „*in promtu est*, ait, *arctius hoc secundum caput, quod etiam integrum carmen continet, cum primo cohaerere, neque tamen una cum eo, sed brevi tempore post — in medium fuisse prolatum*“ itemque p. 24. „*quod ad caput tertium attinet, — cum totum carmen, uti ex argumento apparet, tum versus primus, quo oraculum a Jova auditum commemoratur, probat, si de re tractata quaeratur, arcte cohaerere cum reliquis quae extant Habacuci scriptis*“, et hic „*Meines Erachtens*, inquit, *ist dieses erhabene poetische Denkmahl des Alterthums* (Cap. III.) *zwar ein späteres Produkt des Dichters, und also in dieser Rücksicht freilich von den beiden erstern Capiteln verschieden; allein in Absicht*

que est sane cum in singulis verbis et enunciationibus, tum in universo sententiarum ordine, tam arcta omnium partium cohaerentia certumque vinculum, ut, quod in contrariam illi rem afferrent, argumento, suam caussam non fortiter videantur esse tuiti. Namque, in quo omnis est rationis istius vis ac nervus, Chaldaeorum primo capite et secundo tam diversam esse descriptionem, ut utrumque eodem tempore prolatum putare non liceat, prorsus negandum judico. Quam enim volunt secundo solum capite versu quinto

אֲשֶׁר הִרְחִיב כִּשְׁאוֹל נַפְשׁוֹ
וְהוּא כַמָּוֶת וְלֹא יִשְׂבָּע
וַיֶּאֱסֹף אֵלָיו כָּל־הַגּוֹיִם
וַיִּקְבֹּץ אֵלָיו כָּל־הָעַמִּים׃

deplorari Chaldaeorum in peregrinas terras irruendi cupiditatem, eam persimili modo quod praecedit capite versu sexto his verbis descripserat vates:

כִּי־הִנְנִי מֵקִים אֶת־הַכַּשְׂדִּים
הַגּוֹי הַמַּר וְהַנִּמְהָר
הַהוֹלֵךְ לְמֶרְחֲבֵי אֶרֶץ
לָרֶשֶׁת מִשְׁכָּנוֹת לֹּא־לוֹ׃

quodque illic versu octavo:

כִּי־אַתָּה שַׁלּוֹתָ גּוֹיִם רַבִּים
יְשָׁלּוּךָ כָּל־יֶתֶר עַמִּים
מִדְּמֵי אָדָם וַחֲמַס־אֶרֶץ
קִרְיָה וְכָל־יֹשְׁבֵי בָהּ׃

---

auf ihren innern Inhalt mit denselben unzertrennlich verbunden.“

acerbe castigat devictos spoliandi, violandi, vexandi crudele studium, idem primo capite versu nono, Chaldaeorum adumbrans rapax et impium ingenium, satis aperte tetigerat, dicens:

כֻּלֹּה לְחָמָס יָבוֹא
מְגַמַּת פְּנֵיהֶם קָדִימָה
וַיֶּאֱסֹף כַּחוֹל שֶׁבִי׃

Quae cum ita sint, si ex dissimili aut concordante Chaldaeorum descriptione liceret eodemne an diverso tempore utrumque caput confectum esset, definire; tantum abest, ut cum Rosenmuellero 26) alterum Joiakimi, Jechoniae aetati alterum tribuendum sit, ut eodem tempore utrumque conscriptum esse, loca illa, inter se collata, demonstrent. Accedit huc, quod quominus cum illis faciamus prohibet, quod, primo et secundo capitibus ita inter se secretis, ut peculiare unumquodque putemus oraculum conficere, et illud apto careret exitu, et huic deesset probabile aliquod exordium. Renituntur quidem Ranitzius (l. c. p. 17.) et Horstius 27), sua videlicet oracula carmina vocantes prophetica, omnibus numeris absoluta. At primo illo, quod perfectum dicunt ac quasi rotundum oraculum,

---

26) Hujus viri docti de primo capite Habacuci verba quomodo inter se possent conciliari, equidem non sum assecutus. Illud enim dixit tempore, quo Chaldaeorum irruptio *res incredibilis* (Cap. I. 5.), quod ipse urget dictum, apud Judaeos haberetur, et *post* primam (2 Reg. 24, 2.) vel, si Josephum sequimur, secundam Nebucadnezaris invasionem ponendum.

27) Horstius l. c. p. 31.: „*So haben die beiden ersten Capitel, Anfang, Ende und Plan, und nichts nöthigt uns sie als rhapsodistische Fragmente zu betrachten.*“

quum Chaldaeos miseriasque Judaeis exantlandas adumbrasset, sub finem (Cap. I. 17.) in interrogationem [28]), num sic in sempiternum dominaturus esset superbus victor, excurreret propheta; superbiam descripsisset, cui, quod ex antiquitatis sensu ineptum foret, aequa lance non rependeretur, nec spem fecisset laetioris cujusdam temporis, neque ullum, omisso perniciei istis subeundae augurio, legentibus attulisset solatium. Qui exitus a communi, ne dicam legitima indole oraculorum, quae hanc solent viam tenere, ut a praesenti calamitate vitiisque per populares glisoentibus exorsa, ad poenas scelerum minandas progrediantur, denique vero ad felicioris temporis descriptionem assurgant (cf. Jes. II—III. VIII—IX. 6. XIX. XXX. Gesenii Commentar. ad Jes. Tom. I. p. 146. et vaticiniorum Zephaniae argumentum a Rosenmuellero Schol. l. c. Vol. IV. p. 3. descriptum), quantopere abhorreat, non facile quisquam, harum rerum peritus, est, quin intelligat. Quid? quod ne capere quidem legentes potuisse, si post plures interjectos annos prolata fuissent, oraculorum, quae secundo et ter-

28) Sin quis malit cum Horstio in vertendo hoc versu antiquas versiones sequi, in quibus *Syrus* ܡܛܠ ܗܢܐ ܦܐ ܡܨܝܕܬܗ ܟܠܐ ܐܦ ܘܩܛܠܐ ܕܥܡܡܐ ܘܠܐ ܚܐܣ versio *LXX virorum* Διατοῦτο ἀμφιβαλεῖ τὸ ἀμφίβληστρον αὐτοῦ, καὶ διαπαντὸς ἀποκτέννειν ἔθνη οὐ φείσεται· et qui hos sequitur *Arabs* مِنْ أَجْلِ هَذَا يُلْقِي شِصَّهُ لِيَقْتُلَ الأُمَمَ كُلَّ حِينٍ وَلَا يُشْفِقُ * omiserunt interrogandi particulam, eo magis haec sententia, diuturnam hosti felicitatem pollicens, a communi oraculorum exitu abhorreret.

tio capite exstant, seneum, persuasus sum; cum in utroque certae aliquot voces, verborumque formulae legantur, quae, ut Rosenmuellero quoque videtur, ad antecedentia oracula pertineant. Referunt enim, neque incommode תּוֹכַחְתִּי illud, quod capite II. versu 1., est, ad quaestionem prophetae, superiori capite motam, itemque שִׁמְעֲ capite III. versu 2. ad vaticinia antecedentia 29); quam singulorum verborum rationem ad oracula, plures annos ante edita 30), quomodo sentire potuissent legentes, nisi priora cum tertio simul tradita iis esse poneres, animo nequeo complecti. Quare claro hae ipsae enunciationes mihi sunt documento, ac veluti firmissima singularum, quas illi distinguerent, partium ligamenta, quibus tria ista capita in unum copulentur vaticinium; atque hoc tandem, et plerique interpretes judicabant et paullo accuratior consideratio demonstrabit rotundum esse, omnibusque numeris absolutum. Quam enim initio vates incusarat fori, quo lex frigeret, et judiciorum perversam rationem (Cap. I. 2—4.), ejus vindicem, sacrilegam istam et immanem Chaldaeorum nationem adfore minitatur (Cap. I. 5—17.); hos tamen

29) Rosenmuellerus enim l. c. p. 429. ait: „שִׁמְעֲ *auditio Jovae h. l. est verbum, effatum Jovae auribus prophetae perceptum. — Nos cum interpretibus plerisque effato Jovae, quod vates a se perceptum dicit, superiora vaticinia indicari arbitramur, quibus cum adversus populum Judaicum, cum adversus hostes ejus dirissima quaeque sunt praenunciata.*" Idem judicaret *Ranitzius* loco supra (not. 25.) laudato.

30) Inter tertium caput, quod sententia Rosenmuelleri ante annum 588. a. C. n. non posset editum esse, et caput secundum, anno 596. Jechonia regnante compositum, spatium septem annorum fuisset interjectum.

ipsos, quum immemores reverentiae, Jehovae debitae, insolenter victores sese jactitarent, viribus suis stolide feroces, tutelare Hebraeorum numen oraculo, poenas manere, auguratur (Cap. II, 1—4.). Qua confisus sponsione, superbiae hostium cum sale illudit poeta, futuramque perniciem, in qua describenda miro sibi placet modo, gravem illam, acerbam, infamem nulla, asseverat, averti ab iis posse ratione, quod istorum commentitii essent ac debiles dii, Jehova autem omnipotens, pieque mortalibus colendus (Cap. II. 5—20.). Ac hic potuisset quidem oraculo finis imponi [31]. Sed novos poeta spiritus sumit, ac se ipsum quasi superaturus, carmen decantat (Cap. III.), Jehovae potentiam et majestatem magnifica oratione celebrans, in quo timoris et spei, angoris ac fiduciae affectus alternant, tandem autem aliquando fore, ut, propulsatis miseriis, fausta aliqua Judaeis fortuna arrideat, propheta pollicetur [32]. Hac igitur ratione, unusquisque videt, Habacucum solennem oraculorum viam ad finem usque secutum, pariteque sua re ab omnibus partibus esse defunctum.

Quae si recte sunt hucusque a nobis disputata, superfluum est, quoniam plura non posse Habacuci libello oracula distingui, nobis videmur argu-

---

31) Vere imponi judicant *Carpzovius* l. c. p. 399. s., partem pedestri oratione conscriptam a metrica secernens, *Vogel* Umschreib. der proph. BB. A. T. T. IV. p. 243. et *Eichhornius* l. c. p. 405., dissentientibus *Bauero* Die klein. Proph. T. I. p. 25. *Bertholdtio*, *Justio* al.

32) „*Eine prächtige Schilderung des feierlichen Heranzugs Gottes zur Vollstreckung der Strafe an den Chaldäern und ein hochfliegender Preisgesang Jehovens beschliefsen das schöne Ganze.*" *Justi* Habak. p. 6.

mentis, modo allatis, demonstrasse, sententiarum, quas FRIDRICH et KALINSKY tulerunt, longam instituere disquisitionem. Quarum praeterea suis quaeque insignis est erroribus. Ut enim largiremur FRIDRICHO, quod nemo facile concedet, quae de promiscuo usu et arbitraria permutatione nominum moneret populorum, pastoriciam vitam agentium [33]), totus tamen, quod jam senserunt RANI-

33) *„Es ist übrigens ohne alle Bedenklichkeit, wenn Habak. von einer Besiegung der Midianiter, Zephanjah aber mit dem Verf. der BB. der Könige von einer Besiegung der Moabiter und Ammoniter reden. Man darf nur bemerken, daſs die Namen dieser Hirtenvölker, eben deswegen, weil sie unstät waren, und von einem Orte zu dem andern ihres Viehes wegen zogen, sehr oft verwechselt werden. So heiſst z. B. Zipora, Mosis Gattin, bald eine Midianitin, bald eine Cuschäerin. Jojakim konnte ja seinen Feinden bis in das midianitische Gebiet entgegen gegangen seyn, im welchem die Schlacht geliefert wurde.“* FRIEDRICH l. c. p. 422. At in his plura sunt non recte disputata. Errorem enim eorum, qui Sipporam, uxorem Mosis, modo Cuschaeam (Num. 12, 1.), modo Midianitidem (Exod. 2, 16. 21.) vocatam opinarentur, unde vel BOCHARTUS in sola Arabia Cuschaeis sedes assignabat, graviter reprehendit doctisque argumentis correxit J. D. MICHAELIS *Spicileg. Geogr. Hebr. exter.* Part. I. pag. 147. *Hanc enim, ait, Cuschaeam plerique Sipporam esse volunt Midianitidem, rixatosque Aharonem et Mariam cum Mose de conjugio ante quadraginta et plures annos inito. Quod quomodo animo concipi potuerit, aegre dixerim. Ut enim de ridiculis tarditate jurgiis vocem non mittam, Cuschaei Chamo progeniti dicuntur, Midianitae Abrahamo. Genes.* 25, 2.“ — Joiakimum autem putare, Ammonitis et Moabitis, Coelesyriae puta incolis (*Joseph.* Antiquit. I. 11, 5. Συρίας τῆς Κοίλης ἐστὶν ἀμφότερα), quibus bellum illaturus esset, in finibus Midianitarum, Helanitici sinus accolatum, obviam factum esse, aperte contra terrarum situm pugnat, eum quidem, ut quo itinere dux Hebraeorum adversus hostes contenderit, non perspiciatur.

TZIUS (l. c. p. 24.) et BERTHOLDTIUS (l. l. p. 1674.); in eo falsus est, quod Judaeos, Joiakimo duce, ex Midianitis reportasse victoriam, Capite III. 1—15. ab Habacuco triumphali carmine concelebratam, contendit. Gravissimo quem in suam rem attulit loco 2 Reg. 24, 2., ubi Ammonitas et Moabitas cum Chaldaeorum turmis finibus Judaeae immissos esse, memoriae proditum est, male eum confirmasse istam de victoria aliqua, Joiakimo lata, nec vero in sacris libris, neque apud Josephum usquam memorata, opinionem, unusquisque nullo negotio intelligit. Hoc minus adhuc cetera ad propositum faciunt loca, quorum altero 2 Chron. 36, 5. 6. Midianitarum ne verbo quidem inicitur mentio, altero autem, qui est apud Zephaniam II. 8—12. vates non praeteritam enarrat, ut FRIDRICH statuit [34]), sed futuro tempore (vid. v. 9. חַי־אָנִי al.) illis nationibus ingruentem denunciat perniciem. — KALINSKY denique, quem ultimo inter eos, qui plura nostro libro oracula distinguerent, posuimus loco, hac in re multum versatus, copiosius eam quam rectius videtur tractasse. Etenim levi profecto parumque probabili usus est, ut Habacucum sub Manasse floruisse demonstraret, hac ratione, *quod eo regnante gravior quam sub aliis regibus fuisset populi Judaici malitia;* nec vero intelle-

---

34) *„Vergleichen wir bei Zephanja Kap. 2, 8—12., so sieht es gar nicht so aus, als wären die Judäer von den Alliirten* (Moabitern und Ammonitern) *überwältigt worden. Wenn Sodom und Gomorrha verwüstet worden seyn soll, wenn die Cuschäer mit dem Schwert in der Hand erschlagen worden sind, V. 9. 12., so sieht jeder, daſs dies auf einen Sieg hindeute, den Jojakim über sie erfochten habe."* l. c. p. 409. 10. Sic scilicet Josia regnante (Cap. I. 1.) res a Joiakimo gestas descripsit Zephania!

xit, illas de moribus corruptis ac depravatis judiciis querimonias (Cap. I. 2—4.) nulli fere non congruere ex serioribus Judaeorum regibus [35]), hac plerumque formula ab auctore *II Regum* descriptis: וַיַּעַשׂ הָרַע בְּעֵינֵי יְהוָה כַּאֲשֶׁר עָשׂוּ אֲבֹתָיו 14, 24. 15, 9. 18. 24. 28. 17, 2. 21, 2. 20. 23, 32. 37. 24, 9. 19., neque ab Chaldaeorum, quae quantopere sibi obstaret, probe sentiebat, commemoratione felicius potuit expedire sese, quam ut eos pro Assyriis, Manassen subigentibus (Joseph. Antiquit. X. 3, 2.) capiendos esse statueret [36]). In distinguendis autem singulis oraculis sic versatus est, ut, quum capite I. versu 14. Judaei oppressi piscibus, tutore destitutis, compararentur, illoque מוֹשֵׁל non Jovam, ut par est (cf. I. 12. 13.), sed regem Manassen significari existimaret, singularum imaginum, sive ornatui poetico condonandarum, sive alio pertinentium nimis sedulus interpres, hoc ab antecedente sejungeret vaticinium, tumque prolatum esse temporis judicaret, cum Manasse dolo in Assyriorum fuisset potestatem redactus. Simili ductus ratione vaticinium, quod secundo capite continetur, quia Assyrio interitum praesagiret, vult

---

35) Idem Kalinskyo opposuere Wahlius l. c. p. 13. et auctor libelli *Versuch einer Uebersetz. d. Prophet. Nahum, Habak. etc. mit Anmerkungen* p. 60.

36) „*Quando adductionem Chaldaeorum praenuntiat, nihil prohibet, quominus verba de Rege Assyrio capiantur, cui eo tempore Chaldaei in regione circa Babelem, quoque erant subjecti* l. c. p. 144. Sed Chaldaei non tributaria et alii subjecta describuntur ab Habacuco natio, imo quae impatiens alieni imperii (I. 10.), dispersa per agros vagaretur (I. 6. 8.), praedam, servos (I. 9. II. 5.) regnaque sibi comparatura (I. 6. 15. 16. II. 5. 6. 8.)

confectum esse, cum Sardanapalo sive Esar-Haddoni perniciem pararet Arbaces, Mediae satrapes. At, ut mittam alia, graviter hic erravit vir doctus, quod Sardanapalum eundem dixit esse, qui fuerit Esar-Haddon [37]; utpote inter quos interest circiter centum et octaginta annorum spatium. Namque Sardanapalum plerique conveniunt anno 896 a. C. n. (3108 a. m.), deiectum regno, flammis vitam efflasse; Esar-Haddonem (Asordan) vero Sanheribi filium esse, Babyloni praefectum, posthac anno 696 a. C. n., patre interfecto, Assyriae imperio potitum, cum alia testimonia loquuntur, tum Anecdoton Berosi per Alexandrum Polyhistorem Chronico Eusebiano injunctum, a V. V. Gesenio ex edit. Armenica T. I. p. 42. 43. in Commentar. ad Jes. 39, 1. Tom. I. p. 999. ss. nuper adhibitum, certissime demonstrat. Itaque manet, etiamsi refragatur Kalinsky, sententia eorum, qui statuant, unum exhiberi Habacuci libro vaticinium, firma et integra, licetque si quod primo aut secundo capite reperitur momentum, eo ad aetatem tertii capitis definiendam uti.

§. 3.

Illi igitur, quorum adhuc tractavimus sententias, viri docti quemadmodum de singulorum, quot

37) Quod ut obtineret, novam sibi finxit de Medis quoque ab Asarhaddone, ut a Sardanapalo, Arbace duce, defectis historiolam, de qua neque apud scriptores sacros, neque apud profanos, quos vocant, ullum est vestigium. Et in ea quidem antiquioris cum seriori regno Assyriaco confusione, (cf. Jahnii *Biblische Archaeologie.* Part. II. To. I. p. 184.), nec non in contorta Nahumi aliorumque sacrorum scriptorum interpretatione erroris istius quasi radix latet. Praeterea vide etiam quae Wahlius de sententia Kalinskyi monuit libro, quem inscripsit, *Habakuk.* p. 12.

distinguenda essent, oraculorum numero discrepabant; ita ii, ad quos jam est pergendum, qui uno totum volumen vaticinio complectendum existimant, de rege, cujus imperio Habacucus putandus sit floruisse, inter se dissident. Namque inde ab Hiskia, ejusque successore, Manasse, usque ad Zedekiam ab aliis assignatus est aliis Judae regibus; nec defuerunt etiam satis quidem graves et acuti viri, qui post diruta Hierosolyma templumque eversum, demum Babylonici exsilii aetate nostrum prophetam oraculum suum promulgasse opinarentur.

Manassis tempori vindicare studuerunt Habacucum praeter *Rabbinos*, auctorem *Seder Olam* et *Juchasin*, etiam Huetius (Demonstr. evang. prop. IV. p. 288. ed. Francof. 1722.), Witsius (Miscellan. Sacra To. I. p. 237.), Buddeus (Histor. Eccles. Veter. Test. Tom. II. 604. s.), Wolfius (Biblioth. Hebr. Tom. II. p. 182.), Carpzovius (l. c. p. 398. 399.), Wahl, Kofod (Chabakuki vaticinium commentario critic. atque exeget. illustrat. Prooem. p. 4.) Jahnius; quorum de gravissima ratione, e corrupta morum et judiciorum indole petita, quid judicandum videretur, exposuimus supra; addendumque nunc hoc solum putamus, sententiam eorum, qui, ut Carpzovio quoque videtur, a ceteris in eo recedunt, quod *exeunte* Manassis imperio (anno ejus quinquagesimo secundo) Habacucum vixisse ponunt, non modo iis omnibus, quas jam significaverimus obnoxiam esse dubitationibus, verum sua etiam ac quasi peculiari hac laborare difficultate, quod claro et luculento testimonio 2 Chronic. 33, 11—19. et Josephi repugnat, ad meliorem post libertatem recuperatam illum rediisse frugem, his verbis memoriae prodentis (*Antiquit. Jud.* X. 3, 2.):

„ὁ δὲ Μανασσῆς, τότε συνεὶς ἐν οἵοις κακοῖς ἐστι, καὶ πάντων αἴτιον ἑαυτὸν νομίζων, ἐδεῖτο τοῦ Θεοῦ παρασχεῖν αὐτῷ φιλάνθρωπον καὶ ἐλεήμονα τὸν πολέμιον· χαρίζεται δὲ τοῦτο τῆς ἱκεσίας ἐπακούσας ὁ Θεὸς αὐτῷ· καὶ πάλιν εἰς τὴν οἰκείαν ὁ Μανασσῆς ἀπολυθεὶς ὑπὸ τοῦ τῶν Βαβυλωνίων βασιλέως ἀνασώζεται· γενόμενος δ᾽εἰς τὰ Ἱεροσόλυμα τῶν μὲν προτέρων ἁμαρτημάτων περὶ τὸν Θεὸν καὶ τὴν μνήμην ἐσπούδαζεν, εἰ δυνατὸς αὐτῷ γένοιτο, τῆς ψυχῆς ἐκβαλεῖν, ὧν μεταβουλεύειν ὥρμησε, καὶ πάσῃ χρῆσθαι περὶ αὐτὸν δεισιδαιμονίᾳ· καὶ τὸν ναὸν ἥγνισε, καὶ τὴν πόλιν ἐκάθηρε, καὶ πρὸς μόνῳ τὸ λοιπὸν ἦν τῷ χάριν τε τῆς σωτηρίας ἐκτίνειν τῷ Θεῷ, καὶ μετατηρεῖν αὐτὸν εὐμενῆ πρὸς ὅλον τὸν βίον· τὰ δὲ αὐτὰ πράττειν καὶ τὸ πλῆθος ἐδίδασκε, μεμαθηκὼς οἵᾳ παρὰ μικρὸν ἐχρήσατο συμφορᾷ, κατὰ τὴν ἐναντίαν πολιτείαν· ἐπισκευάσας δὲ καὶ τὸν βωμὸν, τὰς νομίμους θυσίας ἐπετέλει καθὼς διέταξε Μωϋσῆς“. Huic igitur loco, quo copiose enarrat auctor, sub finem vitae (πρὸς ὅλον τὸν βίον) resipuisse Manassem, quodque improbe antehac et impie egisset, in melius commutasse, non facile quisquam est, quin parum illas de litium et certaminum, licentiae ac fraudis non intermisso exercitio querimonias Habacuci convenire, intelligat. — Sed qui contrariam sequuntur sententiam, alia addunt.

Tantas nempe aiunt virtutes esse orationis, tam elegans, castum, suoque loco luminibus etiam ornatum dicendi genus, ut neque exsilii, neque quod proxime huic praecederet tempori, plumbeae scilicet aetati (cf. Jahnii Einleitung in d. göttl. BB. des Alt. Bundes To. II. P. II. p. 514.) convenire, sed ad aureum, quod vocant, aevum

quam proxime admovendum, itaque ad Manassis vel Hiskiae regnum referendum esse Habacucum, arbitrarentur [38]). At quam utilem judicamus et certam, si de pluribus saeculis ambigatur, ducem ad verum inveniendum, indolem sermonis, tam parum hic eam, ubi paucis tantum decenniis differunt, ad aetatem scriptoris accurate definiendam facere videtur. Illi vero, qui tempore exsilii nihil amplius egregie, nihil eleganter et sublime confectum à poetis opinantur, rei convenienter non disputaverunt de diversis litterarum apud Hebraeos aetatibus; quarum distinguendae omnino duae sunt, eaeque minime ita inter se discretae, ut ad alterius altera non adspirasset praestantiam. Confecta enim sunt hoc ipso aevo, quod Jahnius importune notavit ferrei nomine, praeclara illa de Babylone interitura (Jes. 13, 1—14, 23.), per Cyrum expugnanda (Jes. 21, 1—10.) et de Edomitarum clade (Jes. 34. 35.) carmina; pertinent eodem ingeniosum illud amoebaeum poema, Jehovam, hostes debellantem, calcanti torcular comparans (Jes. 63, 1—6.), nec non plures, qui in dulcissi-

38) Hoc qui statuunt defendere se solent auctoritate Eichhornii, quem secutus Wahlius (l. c. pag. 16.) magis poetice quam vere: *Es wäre unbegreiflich*, inquit, *wenn dieser geschmackvolle Dichter in den spätesten Zeiten, wohl gar in der ersten Hälfte des babylonischen Exils gelebt haben sollte. — So tief läfst sich sein Zeitalter nicht herabsetzen. Klagt eine Nachtigall, sagt Eichhorn, nicht im strengen Winter im erstorbenen Hain: so kann auch Habakuk nicht in der erstorbenen ebräischen Sprache gesungen haben. Sprache und Ausdruck ist in ihm viel zu schön; seine Dichtungen sind viel zu originell; seine Blumen sind lauter starke volle Kinder des Frühlings, nicht schwach und kraftlos wie im Herbst.*"

mis sunt, Psalmi [39]); quae omnia cum communis sit existimatio, elegantia, sublimitate, gravitate vel assequi, vel superare etiam veteres poetas, certum est, antiquam dulcemque Musam ne sub armis quidem, oppressaque patria obmutuisse, neque necessarium igitur esse, etsi librum, quo ad Chaldaicum idioma deflectat oratio, seriori tempore confectum esse, recte concludas, versa vice, si qui casto ornatoque sermone concinnatus est, et ad priscam accedit praestantiam, tempori eum perantiquo assignare [40]). Ac quid tandem est, quod praeclarae cujusdam indolis hominem etiam post aliquot decennia quam celebratissimi vixissent poetae, prodiisse, et vulgarem ultra aequalium modum carminibus suis excelluisse, non putemus? qui quantis illi conspicui essent laudibus virtutibusque,

---

39) *Wir haben viele Psalmen, die man nach den Resultaten einer gesunden kritischen Exegese, die auch beynahe allgemein anerkannt sind, in die Zeiten des Exils und nach dem Exil setzen muſs; und zwar gehören diese Psalmen unter die schönsten in Hinsicht auf Reinheit der Sprache, und Erhabenheit, Lieblichkeit und Frische der Dichtung, und stehen den Gedichten Davids und seiner Zeitgenossen in nichts nach, z. B. Ps.* 45. 74. 79. 107. (quibus adde Ps. 126. 137.) *und mehrere, wo nicht alle, sogenannte Stufen-Psalmen.*" De Wette *Commentar üb. die Ps.* ed. 2. p. 14. 15.

40) Conf. quae in eandem rem disputaverunt Bauer l. c. p. 25., Fridrich l. c. 385—87., Bertholdt l. c. pag. 1665., Justi l. c. p. 7. 8., Gesenius Geschichte der hebr. Sprache und Schrift. p. 26. not. 28.: „*Reinheit der Sprache kann also nie zu einem sichern Kriterium des Alterthums dienen, wiewohl umgekehrt eine chaldaisirende Sprache sicher auf ein späteres Zeitalter führt.*"

tantas et ipse ingenii sui praestantia attigerit, prioresque paene superaverit? 41)

Quare egregio illo dicendi genere, quo usus est Habacucus, non magis, eum sub Manasse vixisse, demonstratur, quam eo denique argumento, quod e Chaldaeorum, tanquam infirmi, ut illis videtur, primumque emergentis populi descriptione, in suam rem traxit Jahnius (l. c. p. 514.). Scilicet verbis, quibus suam sententiam defenderet, Hab. I. 6. הִנְנִי מֵקִים אֶת־הַכַּשְׂדִּים הַגּוֹי הַהוֹלֵךְ לְמֶרְחֲבֵי אֶרֶץ לָרֶשֶׁת מִשְׁכָּנוֹת לֹּא־לוֹ minime inest id quod voluerunt probare. Nimirum ut *nemini* in mentem veniet, capitis secundi versu sexto הוֹי הַמַּרְבֶּה לֹּא־לוֹ efficere velle, egenos et inopes fuisse Chaldaeos, quoniam coacervare, quae ipsorum non essent, dicerentur: ita eo quoque, quem excitant qui contrariam sententiam sequuntur, loco,

---

41) Commode disseruit Fridrich l. c. p. 385. ss. „*Es giebt Dichtergenies in jedem Zeitlaufe, welche die hohe Kraft ihres Geistes über ihre Zeit hinwegsetzt. — So gedenkbar und wahr es ist, daſs aus der Mitte der Barbaren ein Ossian aufstand, ein Mosis dichtete, ein Dares und Corinnus, noch mehr aber Homer von Trojas Eroberung sangen, und jeden spätern weit hinter sich zurückließsen; eben so gedenkbar ists wol auch, daſs sich die Harfe eines Habakuks beim Ruin des Staats und der Knechtschaft des Volkes hören läſst, die doch nur gestimmt werden durfte, um mit reinen Tönen in den alten Bardenaccord zu rauschen. — Schreibt ein Habakuk so schön, mit so starken Gedanken, mit so groſser Correktheit, so ist dieſs kein Beweiſs für das hohe Alterthum seiner Zeit, sondern für die Vortrefflichkeit seiner Dichtertalente. — Dadurch wird das Genie sichtbar, daſs es mit der Kraft der Folgezeit arbeitet, oder, wenn schon alles gesunken ist, noch einmal sich sammelt und mit den Schriftstellern der besten Zeit wetteifert.*“

ubi peregrinas illi terras appetere produntur, putandum est, dominandi aliquod acre studium, nec vero sedibus eos caruisse, imbecillemque fuisse nationem, indicari. Accedit, quod fere omnia primi et secundi capitis commata singula (I. 7. 9. 10. 12—17. II. 5. 8. 9. 12. 17.), praesertim si memineris, quo Jesaias (23, 13.) modo exorientem Chaldaeorum nationem describat, tam aperte, summam tum fuisse, quum Habacucus caneret, eorum potentiam, ad superbiam usque elatam, produnt, ut Jahnii opinio prorsus cadere, imo ea ipsa descriptio rationem suppeditare videatur, quae quominus tempori Manassis, quo volunt primum emersisse Chaldaeos, Habacucum assignemus, impediat. Quare, meo quidem animo, si quae sunt alii aetati nostrum prophetam vindicantes rationes, certe propter eorum argumenta, qui sub Manasse eum floruisse, ponerent, non est sententia cedendum.

§. 4.

Manassi successit Ammon, filius patre dignus, quo post biennium necato, *Josia* rex declaratus est, octo annorum puerulus, qui adolescens, strenuus Mosaicae religionis vindex, custosque vigilans exstitit. Hoc rege qui Habacucum floruisse judicarent, non defuerunt. Vitringa enim (Typ. Doctrin. Prophetic. p. 38.) quum ex cap. I. 14—17. colligeret, regnum Babyloniorum eo tempore, quo Habacucus vaticinaretur, jam satis confirmatum fuisse, dubitavit ad eos accedere, qui sub Manasse prophetam vixisse traderent, eumque maluit Josiae, illum paullo post secuti, tempori, quo firmius stabilitum fuisset imperium Chaldaeorum, assignare. Quae quanto rectius disputata sunt, tanto magis, quod non promovit paululum pedem, mirandum

est, nec non eam solum describi Chaldaeos nationem, vidit, quae adulta esset, tutisque uteretur sedibus, sed quae, ad summum potentiae fastigium evecta, prorumpens e finibus suis, alienas terras peragrans praedansque, ceteris Asiae civitatibus bellum, Judaeis interitum pararet. Quare, si ex Chaldaeorum conditione, tali modo descripta, aetas Habacuci definienda est, eum multo magis sub Joiakimo, quum Nebucadnezar, summa rerum in Asia potitus, armis in Aegyptios versis, terrisque finitimis subactis, Judaeorum finibus terribilis immineret victor, vaticinium suum edidisse, *manifestum est* [42]), quam quum, Nabopolassare duce († 605. a. C.), aequali Josiae († 611. a. C.), internis cum Assyriis certaminibus distenti, hostili manu Niniven adorirentur Chaldaei, ac vix nomine innotescerent Judaeis. Praeterea obstant, quominus cum VITRINGA faciamus, illae de judiciorum morumque perversa apud Judaeos ratione querimoniae (Cap. I. 2—4.), quas a Josia, pio illo quidem, patriorumque institutorum et justitiae observantissimo principe prorsus abhorrere, locupletes antiquitatis auctores (2 Reg. 22, 2—23, 25. 2 Chr. 34, 2—35, 19. Joseph. Antiquit. X. 4. Barhebr. Chronic. Syr. Dyn. III. p. 27. 28.) aperte testantur. Quod ne opponatur prudenti aliquo modo cavere voluit HERMANN VAN DER HARDT (Habacuci Tragoedia in Scytharum bellum tertium ctr. To. I. in Jobum p. 117. ss.); qui, in summa re cum VITRINGA conveniens, libro Habacuci, ut credit, decimo quinto anno regis Josiae edito, dialogum inter re-

42) *„Habakuk spricht von der Macht der Chaldäer in so starken Ausdrücken, dafs er unter Nebucadnezar gelebt haben mufs."* Bertholdt. Einleit. p. 1660.

gem, populum, prophetam, deum exhiberi ponit, quo de crudelitate Scytharum, quos Palaestinam tum temporis obsessam tenuisse, *Herodotus* I. 105, *Strabo* XV. f. 687. et *Justinus* II. auctores essent, et de injuriis ab Idanthyrso, duce eorum, Judaeis illatis, eo justius quereretur, imo incusaret Jovam Josia, quo diligentius ipse renovando Jovae cultui studuisset, seque potius tranquillitate ac pace, quam vexationibus et miseriis dignum reddidisset. Sed, ut silentio omittam, nomine כַּשְׂדִּים Chaldaeos in S. S., nec vero Scythas Europaeos, ut Hardtio videtur 43), appellari, nec censum de verbis illis et enuntiationibus, sat quidem multis, agam, quas contorte ac perperam propter dialogi sui rationem, necesse fuit, explicaret: sunt tamen vel in historicis et chronologicis rebus, copiose ab eo tractatis, in quibus ipse Usserius (*Annales Veter. Testam.*), quem in plerisque secutus auctorem, in nonnullis sine caussa reliquit, parum probabili modo videatur esse versatus. Namque Scytharum aliquam in Palaestinam, Josia regnante, factam esse incursionem, negandum non solum propterea duco, quia sacri libri prorsus de ea, gravi tamen et ad Hebraeo-

43) Habacuci tragoedia in Scythar. bell. tertium in Palaestin. p. 121. „*Apud Habacucum* כַּשְׂדִּים *sunt* Σκύθαι, *iique* *Europaei*. *Quae vocum propriarum aequivocatio frequentissima*, *e. g.* כּוּשִׁים *nunc sunt Aethiopes seu Abessinii, nunc Phacucenses, Aegyptii, nunc iterum alii.*" Hac analogia male suae sententiae patrocinatus est; Cuschaeos enim et in Africa habitasse et in Arabia, certum quidem est, sed cum ejusdem essent stirpis, ac, licet sinu Arabico atque desertis Africae seiungerentur, saepe tamen communibus regibus subjecti, eodem nomine comprehenderentur necesse fuit. Cf. Michaelis Spicileg. Geogr. Hebr. exter. p. 144.

rum civitatem magni momenti, silent, verum etiam quod hunc regem, in procurandam regni sui internam salutem intentum, nullis extrinsecus turbis interpellatum, vitam egisse tranquillam, magnaque usum auctoritate ac divite aerario, certis et claris verbis narravit *Josephus* Antiq. X. 4, 5. *ζήσας δ' ἐν εἰρήνῃ —, ἔτι τε καὶ πλούτῳ καὶ τῇ παρὰ πᾶσιν εὐδοξίᾳ.* Accedit, quod eandem sententiam locus *Herodoti*, supra citatus comprobat, quem, gravissimum quippe, non abs re esse duxi, totum hic adscribere: Οἱ *μὲν* Μῆδοι *συμβαλόντες τοῖσι* Σκύθῃσι, *καὶ ἑσσωθέντες τῇ μάχῃ, τῆς ἀρχῆς κατελύθησαν· οἱ δὲ Σκύθαι τὴν 'Ασίην πᾶσαν ἐπέσχον. 'Ενθεῦτεν δὲ ἤϊσαν ἐπ' Αἴγυπτον· καὶ ἐπεί τε ἐγένοντο ἐν τῇ* Παλαιστίνῃ *Συρίῃ, Ψαμμίτιχός σφεας Αἰγύπτου βασιλεὺς ἀντιάσας δώροισί τε καὶ λιτῇσι ἀποτρέπει τὸ προσωτέρω μὴ πορεύεσθαι· οἱ δὲ, ἐπεί τε ἀναχωρέοντες ὀπίσω, ἐγένοντο τῆς Συρίης ἐν 'Ασκάλωνι πόλι, τῶν πλεόνων Σκυθέων παρεξελθόντων ἀσινέων, ὀλίγοι τινὲς αὐτῶν ὑπολειφθέντες, ἐσύλησαν τῆς* Οὐρανίης *'Αφροδίτης τὸ ἱρόν. — 'Επὶ μέν νυν ὀκτὼ καὶ εἴκοσι ἔτεα ἦρχον τῆς 'Ασίης οἱ Σκύθαι. —* Καὶ *τούτων μὲν τοὺς πλεῦνας Κυαξάρης τε καὶ* Μῆδοι *ξεινίσαντες καὶ καταμεθύσαντες κατεφόνευσαν.*" Quod Psammitichum aliquem Herodotus refert, ut ne longius progrederentur Aegyptum versus, muneribus ac precibus a Scythis impetravisse; memorabile sane est; hinc enim quo tempore Palaestinam pervagarentur, definire licet. Sunt autem duo inter reges Aegyptios, de quibus cogitari possit, nomine Psammitichorum insigniti; quorum alter postquam ceteros debellaverat dodecarchas, principatum inde ab anno sexcentesimo nonagesimo sexto a. C. n. usque ad annum sexcentesimum quinquagesimum septimum solus obtinuit, alter vero inde a sexcentesimo un-

decimo per sex continuos annos regnavit. Si posteriori regnante adversus Aegyptum Scythae profecti essent, in Josiae regnum ea non incidisset expeditio, jam a Nechone, qui antecessit Psammitichum II., anno sexcentesimo undecimo Megiddunte interfecti (cf. 2 Reg. 23, 29. 2 Chron. 35, 22—24. Joseph. X. 5, 1.); sin adversus Psammitichum priorem per Palaestinam contendisse istos poneres, factum id esset ante annum sexcentesimum quinquagesimum septimum, quo vita Psammitichus decessit (cf. Gesenii Commentar. ad Jes. I. p. 595—599.), sive sex et viginti annos antequam Josia regnum capessivit. Utrumlibet igitur Psammitichorum eligas, ad Josiam Scytharum non pertinuit incursio. In quo ne quis opponat mihi, durasse, teste eodem Herodoto, per duodetriginta annos Scytharum in Asia atrox illud imperium (ἐπὶ μέν νυν ὀκτὼ καὶ εἴκοσι ἔτεα ἦρχον τῆς Ἀσίης οἱ Σκύθαι, καὶ τὰ πάντα σφι ὑπό τε ὕβριος καὶ ὀλιγωρίης ἀνάστατα ἦν), nec veri esse simile, Palaestinam ab eo fuisse liberam; cum ad approbationem haec non conjici, et Judaeorum effrenata tum temporis licentia indicet, qui, interemto Ammone, Joaham nec prohibente, nec permittente quopiam, regem sibi constituerent (2 Reg. 21, 19—26. 23, 30. 2 Chron. 33, 21—25.), et ipsa verba Herodoti significent, quibus ex his regionibus rediisse Scythas (ἀναχωρέοντες ὀπίσω) in Asiam, credo, superiorem, eorumque Ascalonem praetergredientium paucos aliquamdiu remansisse (ἐπεὶ ἐγένοντο τῆς Συρίης ἐν Ἀσκάλωνι πόλι, τῶν πλεόνων Σκυθέων παρεξελθόντων ἀσινέων, ὀλίγοι τινὲς αὐτῶν ὑπολειφθέντες, ἐσύλησαν κ. τ. λ.), tradatur; quocirca omnis illa repentinae incursioni, quam diuturno in Palaestina imperio similior videtur expeditio, de

qua post interjectum temporis tantum spatium Josiam non potuisse conqueri, sua quisque sponte intelligit. Sed fac fuisse Judaeam ad annum sexcentesimum undetricesimum usque, quo per Cyaxarem et Medos vino ac gladio exstincti sint, Scytharum in potestate, ne tum quidem, arbitror, retardati contra eos auxilii, meritis suis fretum, ut Hardtius (l. c. p. 120.) opinatur, Jovam jure incusare potuisse Josiam, quum ipse templum reficiendum, omnemque divinum cultum restituendum anno demum sexcentesimo vicesimo quarto a. C. n. (vid. Jahnii Biblische Archaeologie P. II. Tom. I. p. 194.) studiosius curare coeperit. Quae cum ita sint, diligenter quidem et acute, nec vero ita, ut assentiendum ei esset, ea in re Hardtium versatum esse, existimo.

§. 5.

Qui supersunt interpretes, eorum triplex genus est. Vaticinatum esse enim Habacucum, alii putant Joiakimo regnante, integro adhuc et intacto Chaldaeis Judaeorum regno, alii sub Zedekia vel eodem illo Joiakimo, redacta quidem in potestatem Nebucadnezaris, nec tamen deleta republica, alii denique post exstinctam civitatem, templumque et urbem Hierosolymitanam funditus eversam. Postremam sententiam, defendunt clarissimi viri Bertholdt (l. c. p. 1667.), Justi (Habak. p. 3.), Wolff (Der Proph. Habak. mit einem philolog.-krit. und exeget. Commentare p. 67. 68.), primum idcirco, quod calamitatibus, per Chaldaeos illatis, prophetam praesentem interfuisse, Cap. I. 2. 3. significetur. At hoc ipsum, quo tanquam fundamento nititur argumentatio eorum, dubitatur; namque loco, quem excitant, utrum miseriae, a Chaldaeis illatae,

quod in recentissimis defendunt DE WETTIUS et EICHHORNIUS, an ipsorum Judaeorum in moribus corruptela, et in civilibus rebus perversitas describatur, magno opere ambigitur. Nec potest ex ipsis verbis, utri assentiendum sit parti, certo diiudicari. Attamen pro certo affirmandum puto, inter commata 2—4 et 5—11 obtinere quandam oppositionem, hisque Chaldaeos excitatos dici, per quos Jova poenas a Judaeis sumturus esset (v. 5. 6. 12. לְמִשְׁפָּט שַׂמְתּוֹ וְצוּר לְהוֹכִיחַ יְסַדְתּוֹ); quarum poenarum cur rei essent cum nusquam, nisi commatibus 2—4. expressa esset caussa, indicaretur, idque omittere absonum fuisset, hoc ipso sententiarum nexu adducor, ut commatibus 2—4, quemadmodum jam LUTHERUS (Praefat. Commentar. in Habac. T. III. Altenb. f. 420.) et SAL. VAN TIL (Introd. ad Hab. 6. in Phosph. Prophet. p. 219. seq.) explicuerint, de perversis moribus et dilacerata republica prophetam conquestum esse, neque igitur truculentam Chaldaeorum dominationem expertum descripsisse, hoc loco monstrari posse, existimem. Quam luculenter quoque comprobat sententiam qui apud Jeremiam est persimilis et ad nostram rem memorabilis locus cap. V., quo cum impietatem, injustitiam, scelestosque mores Judaeorum acriter perstrinxisset (v. 1—13.), Chaldaeos adfore, ad Habacucum prorsus apposite descriptos, graves vitiorum vindices, propheta ominatur. Quodsi eosdem illos vates (Hab. I. 13.) dixit pejoris esse, quam Judaeos indolis, hinc tam accuratam penes eum fuisse Chaldaeorum cognitionem, concludere cum BERTHOLDTIO, quam sibi non potuisset nisi ex consuetudine eorum et quotidiano usu comparare, hoc nimium est argutari, cum vel rumores, de nefandis istorum facinoribus, e longinquo per vulgus

lati, vel alia nescio qua via, levissima de iis contracta notitia movere eum possent, ut suum praestare immani isti populum, arbitraretur. Pari modo argutius disputavere, ut dirutam fuisse urbem cum scriberet Habacucus, obtinerent, de verbis II. 11. כִּי־אֶבֶן מִקִּיר תִּזְעָק וְכָפִיס מֵעֵץ יַעֲנֶנָּה, quibus iam Wahlius et Justius, minime significari, ab excisis Hierosolymis depromtos esse lapides ad exstruendum Nebucadnezari palatium, sed per proverbium expressum esse, omnia in domicilio impii hominis impietatem ac fraudem testari, recte viderunt. Atque quod ejusdem capitis commate decimo septimo כִּי־חֲמַס לְבָנוֹן יְכַסֶּךָּ וְשֹׁד בְּהֵמוֹת יְחִיתַן perturbatum et eversum regnum Judae indicatum volunt, id ei solum probari potest, qui cum Chaldaeo hunc versum explicet: אֲרֵי חֲטוֹף בֵּירַת מַקְדְּשָׁא יַחְפִּנָּךְ וּבִזַּת עַמֵּיהּ תְּתַבְּרִנָּךְ מִדְּמֵי אֱנָשָׁא וַחֲטוֹף אַרְעָ׳ דְּיִשְׂרָאֵל קַרְתָּא יְרוּשְׁלֵם וְכָל דְּיָתְבִין בַּהּ׃ cui interpretationi, artificiosae, ut neminem praeterit, nullus adstipulabitur, qui nudum Libani nomen pro templo Hierosolymitano, quippe ex cedris constructo, nusquam poni, nec facile illis בְּהֵמוֹת de hostiis quemquam, Jehovae sacrificandis, sed de bestiis silvestribus omnes cogitare, animo secum reputet. — Majorem prae se fert veri speciem postremus, quem laudant, locus Cap. III. 17., deplorans ficuum et vitium, olivarum ac pascuorum solitudinem; unde, si seorsim verba considerantur, desolatam terram, populumque Babylonem abductum fuisse, videntur quidem non injuria effecisse; sin, observato sententiarum nexu, secundo et, qui nostro commati praecedit, sexto decimo versu futurum tempus clare innui, cognoscis, de praeterita, ut illi volunt, cogitandum non

esse, sed futuram, quam horret, patriae calamitatem commoto pectore deflevisse vatem, veritati convenientius existimabis. Itaque, si disputaverimus hucusque apposite ad persuasionem, vestigia aliquot, quibus demonstraretur, post dirutam urbem, tempore exsilii confectum esse librum, nomine Habacuci inscriptum, in libro ipso inveniuntur nulla.

At vero ex altera parte aperta admodum indicia sunt, quae priusquam patriae libertas fracta, desolatum templum, in exsilium abducti cives fuissent, protulisse vatem oraculum suum declarent. Nam de Chaldaeis loquitur ut adventaturis (Cap. I. 5. ss.), quorum dictu tam incredibilis esset impetus (Cap. I. 5. פֹּעַל פֹּעֵל בִּימֵיכֶם לֹא תַאֲמִינוּ כִּי־יְסֻפָּר׃), ut securis tum temporis, nec quidquam metuentibus istam calamitatem praedictam esse, cum verisimilitudine statuatur. Descripta postea hostium barbarie, laetam tamen spem, se suosque non penitus perditum iri, expromit (I. 12. לֹא נָמוּת); quam si modo vastata fuisset patria, resque publica sic exstincta, ac, si ita dicere fas est, emortua, ut graviora accidere non possent, quo jure concepisset, non video; nec fuisse puto, quod de ingruente tempestate, turmisque populo suo obequitantibus cogitaret, et atrum quendam diem ominans, spe in metum cedente, trepidaret animo, et acerbissimo dolore adversam fortunam quiritaretur III. 10. אֲשֶׁר אָנוּחַ לְיוֹם צָרָה לַעֲלוֹת לְעַם יְגוּדֶנּוּ׃ Hos igitur timoris ac spei, angustiae et laetitiae alternantes affectus, multo minus ei, qui gravissimas jam exantlavisset calamitates, quam cui horribile prope instaret periculum, convenire, facili negotio cognoscitur. Accedit, quod ipsum templum, grande illud Jehovae domicilium, quo veluti ad peculiarem ejus sedem confluendum esset

adorantibus, integrum adhuc et florens commemoratur Cap. II. 20.

וַיהוָה בְּהֵיכַל קָדְשׁוֹ
הַס מִפָּנָיו כָּל־הָאָרֶץ׃

Sed cum hoc manifestius esset testimonium, quam ut illa, quae disputatur, admitti posset sententia, nimirum exorti nonnulli sunt, qui היכל קדשו non de templo Hierosolymitano, sed de coelo intellectum vellent; contra quos et acute monebat Justi, non satis id Judaeorum de tutelari suae gentis numine notionibus convenire, et alii ex iis, *qui* post deletam urbem scripsisse vatem ipsi judicant, hanc parum probabilem esse interpretationem, confitebantur [44]. At hoc qui fatebatur Bertholdtius alia quidem, sed etiam minus felici, credo, ratione sic se conabatur expedire, ut totum illud comma (20), suppositum quippe propter religiosum sequentis capitis usum, nihil ad aetatem scriptoris definiendam facere, perhiberet. Cujus opinionis cum ipse rationem nollet addere, nec quaerenti mihi eam indagare contingeret, in eo cum de Wettio (Lehrb. der hist. krit. Einl. T. I. p. 332.) acquiescendum duco, quod et ab ipso auctore libri hunc versum profectum, et templum Hierosolymitanum

---

44) Bertholdt. l. c. p. 1670. „*Denn sie* (die Strophe II. 19.) *muſs doch wohl von dem irdischen Tempel Jehovens zu Jerusalem verstanden werden, und setzt also den Bestand desselben voraus. Allein es sind deutliche Anzeichen vorhanden, daſs einige Stücke aus Habakuks Visionen zur Zeit des zweiten Tempels eine liturgische Bestimmung erhielten und diese brachte erst diese Strophe in den Text Habakuks. S i e m a c h t s i c h a b e r a u c h s c h o n s e l b s t a l s e i n e I n t e r p o l a t i o n k e n n t l i c h.*“

adhuc integrum significari, existimo. Denique praetermittendum non est, omnem vaticinii indolem et ambitum sententiarum eum esse, qui ab exsilii scriptoribus discrepet, eaque quae apud hos receptum ac paene, cum res ita ferret, solenne fuerit eloqui pectoris sensa, abesse ab Habacuco nec vel obiter attingi. Nam de solitudine patriae, quam, relictam ab exsulibus, fruticibus et dumetis obtectam (Jes. 27, 11.), destitutam incolis (Jes. 24, 6.), armentis vero et feris, per deserta oberrantibus, repletam (Jes. 27, 10. Thren. 5, 18.) et expilatam (Jes. 24, 1 — 12.) alii deplorant, Habacucus nihil dicit; de civibus, per terras dispulsis (Jes. 24, 1. 13. 15.), altum agit silentium; exantlatas miserias tacet; nulla de urbe vastata vel templo et Sione profanato (Jes. 24, 10—12. 26, 18. Thren. 1. 2. 5, 18.) querimonia; felicioris illius aevi, calamitatem secuturi, quo Sion orbis terrarum caput foret, opibus, dignitate, potentia insigne (Jes. 24, 23. 25, 6—8. 26, 1. ss. 27, 13.), augurium nullum; Edomitis denique et Moabitis, in quos, invisissimos suae genti inimicos, ceteri omnes acerrime invecti sunt scriptores (Psalm. 137, 7. Ez. 25, 12. 35, 5. Thren. 4, 21. 22. Jer. 48. 49, 7. ss. Jes. 25, 10. 34, 1. ss. cf. ad h. l. Gesenii Commentar.), apud nostrum dirarum imprecationes nullae [45]; quae quidem omnia cum nullo pacto, qui exsilii tempore, digna Hebraeo ratione, in rebus poeticis ver-

45) Conf. Gesenii Commentar. ad Jes. II. p. 19. 20. Aliter quidem sed ad suum consilium accommodate et docte adumbravit seriorum prophetarum rationem dicendi Forbergius Progr., quo continetur *Commentarii crit. et exeget. in Zachariae vaticiniorum partem posteriorem particula I.*

sari vellet, silentio posset omittere, Habacucus autem, acuti ceterum et solertis ingenii vates, cladem aliquam, ut imminens quoddam sed parum nobis notum periculum solemus, in universum adumbraret, haec ipsa ab aliis prophetis discrepantia claro est, oraculum ejus ante expugnata Hierosolyma editum esse, documento. Quae si ad veritatem accommodate a nobis exposita videantur, apparet, vaticinium Habacuci non esse ante annum quingentesimum duodenonagesimum a. C. n. confectum, quo expugnari per Nebucadnezarem Hierosolyma, templum everti, rex, trucidatis coram liberis, *oculis* privari, cives in exsilium abduci. 2 Reg. 25, 7. Jerem. 39, 3. ss. 2 Chron. 36, 17—20. Joseph. Archaeol. X. 8, 1—3. Jahnii Archaeol. l. c. p. 200. ss.

De sententia eorum, qui secundam, quam supra posuimus, classem constituunt, Clementis Alexandrini (Stromat. I. 142.), Davidis Scholiastae, Antonii (Progr. Capitis III. Chabac. versio et nova ejusdem versum 13. exponendi ratio p. 3. not. 1.), Eichhornii (l. c. p. 403. 4.), fusius exponere, non putamus opus esse, quum, quo maxime nitentur, Chaldaeorum vexationes capite I. 2—4. adumbrari, jam significaverimus, quare nobis non probaretur, nec vivida Chaldaeorum descriptio (c. I. 5—11.), et ipsa adventuris maxime congruens, nec spes, non penitus perituros esse Judaeos (c. I. 12.), ita comparatae videantur, ut „*infortunium jam civitatem invadere incepisse*" (Anton l. c.), vel post quartum annum Joiakimi regnantis vaticinium confectum (Eichhorn. l. c.) esse demonstrent.

§. 6.

Postremum venio ad eos, qui vel obiter monerent, vel additis argumentis exponerent accura-

tius, Habacuci vaticinium tempore Joiakimi publici iuris factum esse, cum arma Chaldaeorum, cladem ac perniciem minantia, ad Hebraeorum usque fines essent prolata. Horum in numero habendi sunt Usserius (Annal. ad annum m. 3395.), Heidegger (Enchir. Bibl. lib. I. c. 31. §. 4.), Vogel (Umschreib. der proph. BB. p. 243. 44.), Persohke (Habak., vates olim hebraeus. p. 11.), Bauer (Die klein. Prophet. T. II. p. 26.), auctor libelli: *Versuch einer Uebersetz. d. Proph. Nahum, Habak.* etr. p. 61., Ranitz. (l. c. p. 24. 27. 28.), de Wette (Lehrb. d. Einleit. in d. A. u. N. T. To. I. p. 330. 331.), quem postremum per errorem in iis esse Wolffius (l. c. p. 66. not. 4.) dixit, qui post deleta Hierosolyma prophetam floruisse judicarent. Ad comprobandam sententiam tanquam gravissimo usi illi sunt ac fere uno argumento Chaldaeorum commemoratione. Nimirum cum hanc observatum esset prophetas legem servare, ut quandam nationem non prius oraculis suis commemorent, quam vel ad principatum Asiae adspiraret, vel hostili quodam modo cum Hebraeis concurreret [46]: viri illi docti in eam aetatem, qua summa rerum potiti essent Chaldaei, quaque ad fines Hebraeorum propius accessissent, diligenter inquisiverunt, hincque de tempore Habacuci, ab illis suo populo perniciem ominantis, concluserunt. Missis autem, cum ad nostram rem proxime nihil attineant, latis illis neque adhuc ab omnibus partibus absolutis quaestionibus, quas magna cum do-

---

46) „*Die Propheten haben es mit keinem auswärtigen Volke früher zu thun, als es mit den Hebräern in Verbindung tritt oder es die Oberherrschaft in ihrer Nachbarschaft oder in Asien überhaupt besitzt und ihnen furchtbar wird.*" Eichhorn l. c. p. 16. 401.

strina MICHAELIS (Spicileg. geogr. Hebr. exter. T. II. p. 77. ss.), SCHLOEZER (Ueber d. Chaldäer in EICHHORN. Repertor. f. bibl. und morgenl. Litt. T. VIII. p. 113. s.), DITMAR (Ueber d. Vaterl. der Chald.), FRIDRICH (vid. EICHHORN. Allgem. Bibl. f. bibl. Litt. T. X. p. 425—58.), ROSENMUELLER ad Hab. 1, 6., GESENIUS ad Jes. 23, 13., V. V. HOFFMANN Grammat. Syriac. libr. III. p. 4. instituerunt de origine, lingua, patria, bellicisque expeditionibus Chaldaeorum; sufficiat monuisse, descriptionem profanorum, qui vocantur, scriptorum (Xenoph. Cyrop. III. 2, 7. 11. 25. VII. 2, 5. Anabas. IV. 3, 4.) cum iis, quae de ferocia, bellandi praedandique studio apud Habacucum legantur, luculenter convenire. Enimvero Chaldaei ante aetatem Jesaiae (23, 13.) obscura erant, in desertis vagata stirps, vix tum in populorum numero habenda, sub Assyriorum signis, vel imperio coacta, conductave stipendio, militans (vid. SCHLOEZER. l. c. p. 127. 157. GESEN. l. c. p. 746. s.); posthac autem antiqua (גּוֹי מֵעוֹלָם) in eodem libro, sed quae Pseudoiesaiae competunt partibus (c. 13, 19. 47, 1. 48, 4.), et apud Jeremiam (5, 15.) natio, potens ac celebris nuncupantur, quae Nabopolassare duce imperium Assyriorum fregit (SCHLOEZ. l. c. p. 157. ROSENMUELLER. Schol. l. c. p. 367.), bellisque intestinis feliciter finitis, imperante Nebucadnezare, sed vivo adhuc patre ejus, inter exteros primum contra Aegyptios, a quibus, castellum prope ipsorum ditionem Carchemisch obsidentibus, imprimis timendum erat periculum, stipato agmine prorupit. Vicit hic locorum Nebucadnezar Aegyptios anno, qui est Joiakimi apud Hebraeos regnantis quartus (Jerem. 46, 2.), et a quo, quamvis summam imperii Nabopolassar, pater, adhuc teneret, tamen principium regni Nebucadne-

zaris ducebant (Jerem. 25, 1. Joseph. X. 6, 1.). Nam Gesenium neque in eo opinor recte fecisse, quod Commentario ad Jes. 19. p. 599. Nechonem semel modo contra Babylonios cum exercitu profectum ac profligatum dixerit, nec quod hunc ipsum regem anno sexcentesimo undecimo mortuum esse posuerit. Distinxit enim Josephus Antiquit. X. 5, 1. 6, 1. admodum diligenter duas Nechonis expeditiones, quarum priori, tempore tali conatui peropportuno suscepta, ipse imperium Asiae appetiisset (τῆς γὰρ Ἀσίας βασιλεῦσαι πόθον εἶχεν), posteriorem vero subiisset coactus impetu Nebucadnezaris (μαθὼν τὴν τοῦ Βαβυλωνίου προαίρεσιν καὶ τὴν ἐπ' αὐτὸν στρατείαν ὁ Νεχαὼ, οὐδὲ αὐτὸς ὠλιγώρησεν· ἀλλὰ σὺν πολλῇ χειρὶ τὸν Ναβουχοδονόσορον ἀμυνόμενος, ἐξώρμησεν ἐπὶ τὸν Εὐφράτην). Ac prima quidem illa satis feliciter adversus Babylonios pugnavisse videtur; nam proditum est memoriae, Cercusium, castellum, loci natura munitissimum, hucusque in ditione Assyriorum (Jes. 10, 9.) eum in suam potestatem redegisse (Joseph. l. c. Ναβουχοδονόσορος μετὰ μεγάλης παρασκευῆς ἐπὶ Καρχαμησὰν ἀναβαίνει πόλιν), et reducem factum Joiakimo, in locum Joachae regi constituto, centum talenta argenti cum uno talento auri imperavisse. 2 Chron. 36, 3—4. Sed secunda vice anno 604. acie cum Nebucadnezare decertans, Josepho teste, victus est Necho (συμβολῆς δὲ γενομένης ἡττήθη (Νεχαὼ), καὶ πολλὰς ἀπέβαλε μυριάδας ἐν τῇ μάχῃ); ille vero fugatos persequens, Euphratem transgressus, et, montibus (trita enim haec erat via vid. Joseph. Ant. X. 5, 2.) circa Palmyram superatis, in Syriam contendit, Aegyptiis adhuc subiectam, per quam a septentrione meridiem versus usque ad Pelusium penetravit (ὁ Βαβυλώνιος τὴν ἄχρι Πηλουσίου παρα-

λαμβάνει Συρίαν παρὲξ τῆς Ιουδαίας). Judaeae cur Chaldaeus (Esr. 5, 12.) bellum non intulerit, potissimum hinc puto explicandum, quod et Joiakimus fidem Nechoni datam, a quo rex erat constitutus, editumque atrox illud in antecessorem severitatis exemplum, vel grato animo, vel timore commotus, integram servaret, et Nebucadnezar persequendo in ipsam sedem Aegyptio intentus, per Moabitarum et Ammonitarum, foedere sibi iunctarum (Jerem. 27, 3. Joseph. Antiq. Jud. X. 9, 7.), terras iter, sibi quippe expeditius, mallet facere, quam Joiakimum debellando ab hostibus insectandis retardari. Atque hoc ipso tempore, cum primum Nebucadnezar, quod auctores 2 Reg. 24. et 2 Chron. 36, 5. 6. silentio prorsus omiserunt, in has terras prorumperet, Habacucum, probabile duco, oraculum suum, futuram cladem augurans, in vulgus edidisse. Omnis enim temporum illorum ea est indoles ac facies, ut ex iis ortum ac *quasi* procreatum videatur. Nam cum primum e sedibus suis moti, Hebraeorum tum appropinquarent finibus Chaldaei, eorum profecto inaudita res dicenda erat incursio; deinde aptissimus erat, quia nondum in ipsam terram penetraverant, moribus eorum barbaris describendis, futuraeque ab iis cladi ominandae locus, nec, cum in Asia summa imperii potiti essent, regna, quae adorti erant, vicissent omnia, divitem fecissent praedam, aliter quam potentissimos describere licebat; denique vero rei Judaeorum publicae tam perversa erat ratio, ac Joiakimi, qui in pessimis erat regibus (2 Reg. 24, 4. 2 Chron. 36, 8. Jerem. 22, 17. 18. 26, 21—23. Joseph. Ant. X. 5, 2. ἐτύγχανε δ᾽ὢν τὴν φύσιν ἄδικος καὶ κακοῦργος, καὶ μήτε πρὸς θεὸν ὅσιος, μήτε πρὸς ἀνθρώπους ἐπιεικής), tam depravatum inge-

nium, ut et ab impietate aequalium oraculi initium capere, atque ejus vindices Chaldaeos adfore, et sibi propheta posset et popularibus optimo jure persuadere. Quae quidem omnia quis non videt ita esse comparata, ut singulis Habacuci sententiis accuratissime respondeant, earumque unde promanaverint fontem et originem quasi ob oculos ponant? Accedit denique hoc, unde haud parum meam sententiam confirmari puto, quod cum omni tempore prophetis moris fuit, si ad patriae fines accederet hostilis exercitus, animi sui metum oraculo effundere, hostibus perniciem denuntiante (cf. Jes. 10. et ad h. l. Gesenium Commentar. p. 386.), tum hoc praecipue anno, cum Nebucadnezaris exercitus, tempestatis instar immineret, exploratum est, prophetas suae civitatis saluti magnopere timuisse, et, ut ad meliorem frugem populum revocarent, plura vaticinia propalam curavisse praelegenda (Jerem. 36, 9. 10. 1. 25, 1. 29. 45, 1. 4. 5.).